

**GIOVANNI MAMONE**

**Latinarum Litterarum  
Historiae**

**CARLO SIGNORELLI - EDITORE - MILANO**

**\* \* \* \* \* VIA LATTUADA, 7 - VIA BOTTA, 16**

**PROPRIETÀ LETTERARIA RISERVATA**  
**CASA EDITRICE CARLO SIGNORELLI S. A. — MILANO**

**1951**

**MILANO - TIP. L. DI G. PIROLA - VIA COMELICO 24**

*Printed in Italy*

---

---

## PRAEFATIO

M. Tullius Cicero in ipso Tusculanarum Disputationum initio (L. I cap. I), postquam Romanorum maiores Graecis ceteris in rebus praestitisse praeclaris illis verbis professus est (nam « meum-inquit-semper iudicium fuit omnia nostros aut invenisse per se sapientius quam Graecos aut accepta ab illis fecisse meliora »), hanc sententiam aperit: « Doctrina Graecia nos et omni litterarum genere superabat: in quo erat facile vincere non repugnantes. Nam, cum apud Graecos antiquissimum e doctis genus sit poetarum, siquidem Homerus fuit et Hesiodus ante Romam conditam, Archilochus regnante Romulo, serius poeticam nos accepimus. Annis fere DX post Romam conditam Livius fabulam dedit C. Claudio, Caeci filio, M. Tuditano consulibus, anno ante natum Ennium ». (sc. anno CCXL a. Ch. n. vel DXIV ab U. c.).<sup>1</sup>

Quod igitur omnes fere nostrae aetatis grammatici aiunt, Romanorum litteras a Livi Andronici fabula initium ac quasi ortum duxisse, id Cicero primus fortasse invenit.

Neque tamen Latinas litteras ante illam Livi fabulam omnino defuisse dixeris; multa enim et apud antiquos vel poetas vel scriptores et in sepulchris et in aliis monumentis inveniuntur, ex quibus illud arguere licet, etiam superiore aetate nonnulla fuisse vel rudia litterarum genera, in quibus vel oratio soluta vel inconditus aliquis versus adhiberetur.

Hanc igitur aetatem nemo profecto, qui quidem Latinarum litterarum historiam vel paucis texere studeat, praeterire potest. Quam si ceteris addas, quinque temporum

---

1. V. Cic. Brut. 18, 72.

spatia efficias, quae omnes fere, qui in hoc genere versantur, ita dividunt atque distribuunt.

Nam *primam aetatem* a primis litterarum monumentis ad annum CCXL a. Ch. n. deducunt, quo Livius Andronicus, quem supra memoravimus, primus fabulam, ut ait T. Livius, argumento seruit; *secundam*, quam ab obsoleta vetustate appollant, anno LXXX a. Ch. n. finiri docent, quo Cicero Sex. Roscium Amerinum tanta dicendi arte defendit, ut novum quendam litterarum splendorem inchoasse videatur; *tertiam* auream illam ponunt ab anno LXXX, quem supra dixi, ad annum XIV p. Ch. n., quo Octavianus Augustus vita decessit, eamque in duo temporis spatia dividunt, quorum alterum a Cicerone vel a Julio Caesare appellant, alterum ab Augusto; *quartam* vero, cum hac superiore comparatione facta, argenteam vocare solent, cui postremum annum CXVII assignant, quo imperator Hadrianus obiit; *quintam* denique, quam corruptam multi temere appellaverunt, usque ad annum CDLXXVI p. Ch. n. extendunt ac proferunt, quo anno Romanum imperium, in partibus quidem ad occidentem solem spectantibus, occidit atque interiit.

**Num et quatenus Romani in bonis litteris  
colendis sui dici possint.**

Antequam vero de his aetatibus quas supra memoravi singillatim agam, quaestionem quamdam mihi tangere videtur, iam diu quidem inter homines doctos ortam, nostris tamen diebus mirum in modum auctam et a quibusdam acerrime pertractatam: utrum Romani in litterarum generibus sui dici possint an, Graecos vestigiis secuti, nihil aut non multum ipsi e se protulerint totique ab illis pependerit.

Fuerunt enim, apud Germanos praesertim recentioris aetatis, qui Romanos in litteris alienos fuisse scriptitarent, eorumque opera — incredibile dictu — tamquam Graecorum opera, Latine vero scripta, iudicarent. Hos quidem a rerum veritate longe deerrasse quis non videt? Ceterum tantam horum temeritatem haud immerito in-

---

dignati, nonnulli e nostris viri docti exsiluerunt, qui ipso pugnandi ardore impulsī ac longius provec̄ti, illud contendere non dubitarent, Romanos omnino suos in litterarum genere se praestitisse. Quae sententia et ipsa nonnihil a veritate abest. Nam, ut in plerisque huiusmodi quaestionibus fieri solet, rectum bonumque in medio stat. Litterarum enim genera fere omnia Romani a Graecis hauserunt Graecosque scriptores tamquam exemplaria sibi sumpserunt, non ita tamen, ut interpretes tantum viderentur aut nonnisi ea quae apud illos invenissent, mutatis tantum verbis, significarent, sed ut nova cogitata ac sententias vere suas in usitata illa genera, tamquam recentia vina uvasque suis ipsorum praelis pressas, in aliena vasa infunderent atque immitterent.

Neque vero aliter fieri potuit, praesertim cum Romanorum ingenia mirum quantum a Graecis discreparent.

Hactenus haec; nunc ad primam illam obsoletam aetatem revertar.

---



---

## DE PRIMA LITTERARUM LATINARUM AETATE

Quae ex antiquioribus litterarum monumentis reliquiae exstant ab omnibus in duo genera distingui solent, quorum alterum versibus, alterum prosa oratione continetur. Ex versibus incomptis sane ac rudibus, vel potius ex verbis numerose cadentibus, vel aliqua lege subobscura coniunctis, satis inter omnes constat plura carmina conflata fuisse, quae in sacris vel in conviviiis vel in funeribus vel in triumphis canerentur. Itaque et *carmina religiosa* fuerunt, ex quibus, maxime memoria digna, *Carminis* cuiusdam *Saliaris* tres particulae et *Carmen Fratrum Arvalium* exstant, quorum alterum Salii—Martis sacerdotes fuerunt—mense Martio, alterum fratres Arvales, sacerdotes et ipsi, mense Maio canere solebant; et *carmina convivalia* — nam ut Ciceronis verbis utar, (Tusc. IV, 2, 3) « gravissimus auctor in Originibus dixit Cato morem apud maiores hunc epularum fuisse, ut deinceps qui accubarent canerent ad tibiam clarorum virorum laudes atque virtutes » —;<sup>1</sup> et *Neniae* — quas Festus, clarus posterioris aetatis grammaticus, his verbis definit: « Nenia-inquit-est carmen quod in funere laudandi gratia cantatur ad tibiam » —; et *carmina triumphalia*, quibus milites in triumphis, militari licentiae indulgentes, salibus et iocis et fere conviciis duces aspergere solebant,<sup>2</sup> nonnumquam vero iustis laudibus exstollebant.<sup>3</sup>

Praeter haec carmina etiam *incriptiones* quaedam *metricae* fuerunt, praesertim in sepulcris clarorum virorum,

---

1. Idem Cicero in Bruto, 19, 75: « utinam-inquit-exstarent illa carmina quae multis saeculis ante suam aetatem in opulis esse cantata a singulis convivis de clarorum virorum laudibus in Originibus scriptum reliquit Cato ».

2. Liv. VII, 17, 5 et IV, 53-11.

3. Liv. X, 30, 9.

ex quibus nonnullae exstant, ut in Scipionum sepulcris, quas tamen recentiore aetate nescioquis emendavit. Versibus scripta etiam nonnulla *Vaticinia*<sup>1</sup> exstant; itemque *Incantationes* quaedam.<sup>2</sup>

Adde aliud inconditum atque incomptum versuum iocorumque genus, quod apud antiquissimos Italiae agricolas magno in honore fuit, illos dico Fescenninos versus quos postea Horatius (epist. II, 1, 139-155) ita memoravit:

Agricolae prisci, fortes parvoque beati,  
condita post frumenta levantes tempore festo  
corpus et ipsum animum spe finis dura ferentem,  
cum sociis operum, pueris et coniuge fida,  
tellurem porco, Silvanum lacte piabant,  
floribus et vino Genium memorem brevis aevi.  
Fescennina per hunc inventa licentia morem  
versibus alternis opprobria rustica fudit,  
libertasque recurrentes accepta per annos  
lusit amabiliter, donec iam saevus apertam  
in rabiem coepit verti iocus et per honestas  
ire domos impune minax. Doluere cruento  
dente laccessiti, fuit intactis quoque cura  
condicione super communi, quin etiam lex  
poenaeque lata, malo quae nollet carmine quemquam  
describi; vertere modum formidine fustis  
ad bene dicendum delectandumque redacti.

Hunc morem, hos versus, hanc fescenninam licentiam etiam Vergilius in Georg. II, 335 seqq. significare quibusdam videtur:

Nec non Ausonii, Troia gens missa, coloni  
versibus incomptis ludunt risuque soluto,  
oraque corticibus sumunt horrenda cavatis,  
et te, Bacche, vocant per carmina laeta tibi  
oscilla ex alta suspendunt mollia pinu.

1. Ut praeclara illa Marci vatis.

2. Ut haec in articulare morbum: « Terra pestem teneto-Salus hic (sc. in pedibus) maneto ». Haec vero in furunculum: « Nec mula parit-Nec lanam fert lapis-Nec hinc morbo caput crescat; Si creverit tabescat ».



In his agrestibus ludis versibusque inconditis dramatici illius quod appellant generis prima elementa videntur fuisse, eosque Festus ideo Fescenninos appellatos esse testatur, quod ex urbe Fescennina dicerentur allati sive quod fascinum putarentur arcere.

His *saturae* aliquanto dissimiles fuerunt, quas Livius, Varronem profecto secutus, e ludis illis scaenicis ortas esse tradit, qui primum Romae anno CCCLXIV a. Ch. n. in pestilentia « pacis deum exsoscendae causa » instituti sint. Qua in re operae praetium est ipsum T. Livi locum (VII, 2) afferre: « ... cum vis morbi nec humanis consiliis nec ope divina levaretur, victis superstitione animis, *ludi quoque scaenici*, nova res bellicoso populo—nam circi modo spectaculum fuerat—inter alia caelestis irae placamina instituti dicuntur. Ceterum parva quoque, ut ferme principia omnia, et ea ipsa peregrina res fuit. Sine carmine ullo, sine imitandorum carminum actu, ludiones ex Etruria acciti ad tibicinis modos saltantes haud indecoros motus more Etrusco dabant. Imitari deinde eos iuventus simul inconditis inter se iocularia fundentes versibus coepere nec absoni a voce motus erant. Accepta itaque res saepiusque usurpando excitata. Vernaculis<sup>1</sup> artificibus, quia *hister* Tusco verbo *ludio* vocabatur, nomen *histrionibus* inditum; qui non, sicut ante, Fescennino versu similem incompositum temere ac rudem alternis iaciebant, sed *impletas modis saturas descripto iam ad tibicinem cantu motuque congruenti peragebant* ».<sup>2</sup> Hinc licet intellegere antiquas illas saturas ex saltatione et actione (haud indecoris motibus) et musica (tibicinis modis) primo constitisse, deinde etiam versus inconditos et iocularia adiuncta esse. Cur his ludis nomen *saturis* esset inditum, Diomedes (G.L. I-485), clarus posterioris aetatis grammaticus, hanc causam fuisse putavit, quod hoc ludorum genus, *modis impletum, saturae lanci* quodam modo simile esset. Nam « *Satura-ait-a lance* (sc. vocatur) quae, referta variis multisque primitiis, in sacro apud priscos diis inferebatur et a

1. Id est « non advenis » vel « Latinis ».

2. Hacc postrema verba ita C. Marchesi italice vertit: « rappresentarono satire plene di motivi musicali con un canto adattato al suono del flauto e con appropriate movenze ».

copia et a saturitate rei *satura* vocabatur ». Hanc opinionem, quam multi grammatici recentioris aetatis sunt aspernati, nunc ii qui intellegunt omnes fere sequuntur.

Etiam *mimus*, rude quoddam dramaticae poesis Italicum genus, illa aetate fuit, quo ille qui agebat hominis alicuius, plerumque humili loco orti atque agrestis et rudis, vocem et actus iocose ita imitabatur, ut mores inurbanos infimi ordinis in peius fictos ridentium circulis proponeret.

Neque *Atellanas* praeteribo, quarum prima elementa antiquissimis temporibus orta sunt. Cuius generis nomen ab Atella, Osca urbe, ubi magno in honore videtur fuisse. Qui autem Atellanas agebant, eas personas induebant, quibus certa hominum et ingenia et corpora fingerent, ita vero, ut in omnibus huius modi vel ludis vel fabulis vel actionibus scaenicis quatuor quinque personae, semper eadem, inducerentur ac proponerentur, ut *Dossennus*, qui, cum gibber et callidus esset, tum partes modo magistri, modo astrologi, modo suasoris ferebat; ut *Pappus*, senex mentis imbecillitate ac senio confectus, iactator, ad insanos amores ita pronus ac facilis, ut a callidis puellis saepius deciperetur atque irrideretur; ut *Bucco*, id est magno ore ingentibusque malis praeditus, parum in sermone verecundus, gloriosus idemque pavidus atque ignavus; ut *Maccus*, qui libidinibus ac flagitiis deditus, ventri indulgens ac serviens, verberibus ac plagis et alienis fallaciis obnoxius cum esset, omnium se maxime stultum ac stupidum ac fere mente captum praebobat. Hae ex personis Oscis, quas appellant, maxime sunt dignae quae memorentur. His tricae haud multum inter se dissimiles ita committebantur, ut versus et verba et sententias actores ex tempore invenirent et dicerent.

### De versu Saturnio.

His in omnibus fere generibus veteres illi ac rudes homines —poetas enim dicere non ausim— versum *saturnium*, quem postea appellarunt, videntur adhibuisse; cuius versus quae natura ac quasi structura fuerit, adhuc sub iudiculis est. Eum enim sunt qui dicant syllabarum mensura ac quantitate, ut Graecorum versus, praesertim niti; alii

contra certo syllabarum numero certisque ictibus confici defendunt; alii denique primo, omni mensura neglecta, fuisse rudiores, deinde versuum Graecorum morem ac naturam quodam modo secutum esse opinantur.

### De antiquissimis orationis solutae monumentis.

Sed de poeticis primae aetatis generibus hactenus. Nunc ad antiquissima orationis solutae monumenta veniamus. Quo in genere *publica acta* quaedam in primis memorare oportet. Nam Romanos iam antiquissimis temporibus et foedera cum ceteris gentibus sanxisse et leges domi instituisse constat. Ut cetera, quorum memoria apud veteres est rerum scriptores, omittam, quoddam de commerciis foedus a Romanis cum Carthaginiensibus anno DIX ictum esse, auctor est Polybius (III, 22). *Leges regias* antiquissimas fuisse accepimus. Quas cum Papirius quidam primus collegisset et in ordinem rede-gisset, *ius civile Papirianum* postea appellaverunt. His multo maiores ac graviores praeclarae illae XII tabularum leges; quae tantum valuerunt ut omnium fere civilium institutorum ac legum, quae non solum Romae sed etiam toto orbe terrarum viguerunt vel adhuc vigent, caput ac quasi fons fuerint. Has Cicero ita laudibus extollit (de or. I, 44): « Fremant omnes licet, dicam quod sentio: bibliothecas mehercule omnium philosophorum unus mihi videtur XII tabularum libellus, si quis fontes et capita viderit, et auctoritatis pondere et utilitatis ubertate superare ». Etiam *commentarii pontificum* et *augurum* aliique huiusce modi libri ad publica vel privata iura videntur spectavisse. At *Fasti* nonnisi indices fuerunt dierum, unde cives discerent qui dies fasti essent quique nefasti; illis ut a negotiis omnibus vacarent, his ut negotiis operam darent. Postea vero etiam indices consulum et sacerdotum et triumphorum *fastos* appellaverunt; unde *Fasti consulares* et *sacerdotales* et *triumphales*. Hi vero indices quam procul a litterarum dignitate absint, nemo est qui non videat. Sed in *Annalibus* aliquid huius dignitatis iam videtur fuisse, cum rerum narratio quaedam vel potius narrationis adumbratio iis contineretur. Nam, ut tradit Cicero (de or. II, 12),

«erat historia nihil aliud nisi annalium confectio; cuius rei memoriaeque publicae retinendae causa, ab initio rerum usque ad P. Mucium pontificem maximum,<sup>1</sup> res omnes singulorum annorum mandabat litteris pontifex maximus referebatque in album et proponebat tabulam domi, potestas ut esset populo cognoscendi; iique etiam nunc annales maximi nominantur ». Postea vero hos « annuos commentarios — ut Servius (ad Aen. I, v. 373) docet — in octoginta libros veteres retulerunt eosque a pontificibus maximis, a quibus fiebant, annales maximos appellarunt ».

*Artis dicendi* prima, ut ita dicam, elementa ac quasi rudimenta iam illa aetate fuisse, ipse Cicero suspicatur. Qui, postquam memoravit L. Bruti, qui reges expulit, egregie facta, haec verba adiungit (Brut. 14, 53): « quod certe effici non potuisset, nisi esset oratione persuasum ». Idem « videmus-ait-paucis annis post reges exactos, cum plebes prope ripam Anionis ad tertium miliarium condisset, cumque montem, qui Sacer appellatus est, occupavisset, M. Valerium dictatorem<sup>2</sup> dicendo sedavisse discordias... ». Deinde multos illius aetatis enumerat, quos dicendo aliquid potuisse intellegit, ut Appium Claudium, ut C. Fabricium, ut Ti. Coruncanium et M. Curium et M. Popilium, quos ille quidem etiam *disertos* appellat. « Sed idem pergit-eos oratores habitos esse aut omnino tum ullum eloquentiae praemium fuisse, nihil sane mihi legisse videor: tantummodo coniectura ducor ad suspicandum ». (Brut. 14, 56).

Ego vero eorum virorum quos supra dixi, nomina ideo non omisi, quod tota illa prima Latinarum litterarum aetate soli exstant, qui nominatim memorentur. Appi Claudii autem, qui Caecus appellatus est, oratio illa, qua senatum « iam iam inclinatum a Pyrrhi pace revocaverit », Cicronis aetate etiam tum scripta manebat<sup>3</sup> (Brut. 16, 61). Neque vero tum ea tantum extabat ex antiquissimis

1. I. e. usque ad annum CXXVII a. Ch. n.

2. Nam hunc Cicero Meneni Agrippae loco nescio qua de causa ponit.

3. Eiusdem Ap. Claudii etiam *Carmen* quoddam memoratur, ex quo tres exstant sententiae, quarum haec est praeclarissima: « Est unus quisque faber ipse suae fortunae ».

illius aetatis orationibus, sed etiam nonnullae *mortuorum laudationes*, quod genus apud maiores iam pridem vigebat. Nam de huiusce modi laudationibus ita Cicero scribit (Brut. 16, 62): « Et hercules eae quidem exstant: ipsae enim familiae sua quasi ornamenta ac monumenta servabant et ad usum, si quis eiusdem generis occidisset, et ad memoriam laudum domesticarum et ad illustrandam nobilitatem suam ». Quae laudationes quodam modo etiam ad historiam pertinent; quin etiam priscam rerum Romanorum memoriam aliqua ex parte — ut Cicero et Livius testantur — corruerunt ac confuderunt. Nam Cicero (Brut. 16, 62): « His laudationibus historia rerum nostrarum est facta mendosior »; Livius (VIII, 40, 4): « Vitiatam memoriam funebribus laudibus reor falsisque imaginum titulis, dum familia ad se quaeque famam rerum gestarum honorumque fallenti mendacio trahunt. Inde certe et singulorum gesta et publica monumenta rerum confusa ».

## DE AETATE ALTERA QUAM AB OBSOLETA VETUSTATE APPELLANT

(Ab anno CCXL ad annum LXXX a. Ch. n.)

Quam multas et praeclaras res Romani hoc temporis spatio gesserunt! Quantum, non solum armis, sed etiam litterarum gloria profecerunt! Nam Sicilia et Sardinia iam subactis, cum Hannibali diu atque obstinate primo in Italia obstitissent, tum Carthaginienses magna illa ac nobilissima ad Zamam pugna profligaverunt (218-201); deinde et Philippum V, ferocem illum Macedonum regem, apud Cynoscephalas (197) prostraverunt, et, Antiocho III, Syriae rege, ad Magnesiam (190) devicto, magnam Asiae partem subegerunt. Neque multo post Paulus Aemilius Perseum, qui Philippi in locum successerat et Romanorum imperio dementem fere ruinam parabat, non solum proelio ad Pydnam (168) superavit, sed etiam captivum ac catenis onustum, magnum sibi triumphi ornamentum Romam duxit. Deinde, Aetolis et Achaëis subactis, Corintho ferro ignique deleta, tota Graecia pacata et in Romanam provinciam, Achaiae nomine, conversa (146), eodemque anno Carthagine demum incensa ac funditus eversa, in Hispaniis Viriato, magno defectionum auctore, per dolum interfecto (139), et sex post annis Numantia, postremo rebellantium oppido, a P. Scipione Aemiliano eodem qui Carthaginem deleverat diruta ac flammis absumpta, iam terrarum orbis, quo Mare Internum circumdatur, totus fere, si Aegyptum excipias, in dicionem Romanorum venit.

At Romae, quasi imperium mole iam sua laborare inciperet et sua ipsorum cives felicitate impulsivi ac quasi in furorem versi ea brevi labefactare ac perdere cuperent, quae magna virtute tam longo temporis spatio sibi compara-

verant, magna ordinum discordia coorta est. Neque multo post Ti. Gracchus, dux ille popularium impavidus et ferox, inimicorum fraude est obtruncatus. Cuius fratrem Gaium, eandem postea plebis defensionem conantem, eadem fere caedes interceptit. Neque civilis discordia his caedibus finita est; sed multo maius periculum id temporis impendit; nam anno XC bellum illud grave ac permagni periculi plenum exarsit, quod Romani cum foederatis Italiae sociis gesserunt, nec tam vi atque armis quam prudentia ac calliditate usi postremo composuerunt. Tum vero Romanorum imperium tota Italia confirmatum est. Mox tamen illa discordiae semina, quae nondum extincta supra dixi, in apertum incendium eruperunt. Hinc Sullanae Marianaeque cruentissimae caedes; hinc, parvis interdum temporis spatiis interpositis, taetra diuturni illius certaminis pestis, quam nonnisi Octavianus Augustus postea coercuit ac penitus sustulit.

Neque vero his tot tantisque rebus Romani vel potius Italici studio litterarum prohibiti sunt; quin etiam, cum illa aetate usus illis magis magisque cum Graecis intercederet et ob eam ipsam rem litteras ceterasque bonas artes maiore in dies honore afficerent, omnia fere litterarum genera a Graecis acceperunt, ita tamen, id quod supra diximus, ut suum in ea ipsorum ingenium, suos mores, suas opiniones, suum, ut ita dicam, animum infunderent. Tum enim, si unquam, illud evenit, quod Horatius pervulgatis his ac saepius usurpatis versibus significavit (epist. II, 1, 156):

Graecia capta ferum victorem cepit et artes  
intulit agresti Latio: sic horridus ille  
defluxit numerus Saturnius et grave virus  
munditiae pepulere; sed in longum tamen aevum  
manserunt hodieque manent vestigia ruris.<sup>1</sup>

---

1. Quod Horatius dicit, etiam suis temporibus manere « vestigia ruris », o peculiari quadam ipsius de latinis litteris opinione pendet, ut infra declarabimus (V. totum de Horatio locum).

### Livius Andronicus.

Livius Andronicus, ut supra diximus, primus nomen poetae sibi comparavit. Qui, anno CCLXXII Tarento capto, captivus, etiam tum puer, Romam ductus, cum apud nescioquem Liviae gentis servus fuisset, postea manu missus inde nomen sumpsit. Hic primo domini sui, deinde nobilium virorum filios bonis litteris instituit. Hunc Romae dramaticum genus, quod appellant, et omnino litterarum studia inchoavisse iam supra significavimus. Nam « Livius primus — Cicero inquit (Brut. 18, 72) — fabulam C. Claudio, Caeci filio, et M. Tuditano consulibus docuit, anno ipso antequam natus est Ennius,<sup>1</sup> post Romam conditam autem quartodecimo et quingentesimo ».<sup>2</sup>

Quam vero fabulam Livius, immo utrum tragoediam an comoediam eo anno docuerit, nemo est qui sciat. Illud adfirmare non dubitamus, eum a Graecis non solum argumentum, sed etiam numeros ac totas paene fabularum partes sibi ad imitandum sumpsisse. Quibus autem partibus vetus Latina vel comoedia vel tragoedia constiterit, alias videbimus. Nunc satis sit breviter ac quasi in transcurso adnotare ex Livi tragoediis perpaucae particulas et octo tantum inscriptiones<sup>3</sup> exstare, ex quibus intellegere licet, illum ea argumenta delegisse, quae vel Troianas res atque ideo antiquissimam Romanorum originem spectarent vel ipsarum rerum novitate quadam atque immanitate spectantium animos facile permoverent; item ex comoediis tres easque incertas<sup>4</sup> inscriptiones singulosque versus manere. Ille vero non solum fabulas et scripsit et docuit, sed etiam epicum et lyricum genus non sine honore tractavit. Nam Homeri *Odysiam* Latine versibus saturniis convertit; quod opus in Romanorum puerorum ludis diu mansit, eorum lectionibus commendatum; quamquam nimiam et ver-

1. Ennium autem anno CCXXXIX natum esse satis constat.

2. Haec Cicero, T. Pomponium Atticum adversus Accium poetam secutus, confirmat. Nam erat « inter scriptores de numero annorum controversia ».

3. *Achilles, Aegisthus, Ajax mastigophorus, Andromeda, Danae, Equos Troianus, Hermiona, Tereus.*

4. *Gladiolus, Ludius, Virgo* (an potius *Verpus* an *Vargus?*).



borum et versuum rusticitatem et Cicero et Horatius questi sunt. Ille enim in Bruto (18, 71) «*Odyssia-inquit-Latina est sic tamquam opus aliquod Daedali*»; hic vero in Epist. prima libri II, idem poema significans, sic sentit, sic iudicat:

Non equidem insector delendave carmina Livi  
esse reor, memini quae plagosum mihi parvo  
Orbilium<sup>1</sup> dictare; sed emendata videri  
pulchraque et exactis minimum distantia miror.<sup>2</sup>

Huius poematis perpauci versus exstant, quos grammatici postremae, quam diximus, aetatis suis in libris, plerumque quorundam verborum insolentia impulsu, adnotarunt; qui versus mehercule vetustatem redolent neque ab iis procul absunt

«... quos-ut Ennius ait-olim Fauni vatesque canebant  
cum neque Musarum scopulos quisquam superarat  
nec dicti studiosus erat...».<sup>3</sup>

*Lyricum* quoque carmen eundem poetam quod virgines canerent anno CCVII composuisse, his verbis T. Livius (XXXVII, 37) testatur: «*Decrevere pontifices ut virgines ter novenae per urbem euntes carmen canerent. Id cum in Iovis Statoris aede discerent conditum ab Livio poeta carmen, tacta de caelo aedis in Aventino Iunonis reginae*». Idem paulo infra, ubi sacrificium et pompam in Iunonis honorem narrat, haec addit: «*tum septem et viginti virgines, longam indutae vestem, Carmen in Iunonem Reginam canentes ibant, illa tempestate forsitan laudabile rudibus ingeniis, nunc abhorrens et inconditum, si referatur*». Hoc carmen autem rudibus illis ingeniis laudabile visum esse, vel ex his Festi<sup>4</sup> verbis intellegere licet:

1. Hunc Horati magistrum rigidiorum fuisse satis constat: *plagosum* autem illum Horatius ideo appellat, quod pueros in discendo ignavos et inertes plagis et verberibus mulcare solitus fuerit.

2. Illud tamen animadvertere oportet, quod infra suo loco ostendemus, Horatium, cum in huiusmodi disputationibus laudatoribus temporis acti vehementius adversari soleat, haud aequissimum iudicem esse.

3. Apud Ciceronis Brut. 18, 71.

4. Sex. Pompeius Festus, qui fortasse post imperatorem Hadrianum vixit, viginti libros doctissimos scripsit, quibus aliena opera, praesertim Verri Flacci, in angustum coegit.

« Cum Livius Andronicus-inquit-bello punico secundo scripsisset carmen, quod a virginibus est cantatum, quia prosperius res publica populi Romani geri coepta est, publice adtributa est ei in Aventino aedis Minervae, in qua liceret scribis histrionibusque consistere ac dona ponere in honorem Livi, quia et scribebat fabulas et agebat ». Eum autem fabulas non solum scripsisse, sed etiam agere solitum fuisse etiam e T. Livi loco, quem supra memoravimus (VII, 2), colligi potest.

### Gnaeus Naevius.

Hunc Gnaeus Naevius sequitur. Qui, in Campania humili loco anno fere CCLXX natus, postquam bello Punico primo stipendia meruit, Romae anno CCXXV, quinque scilicet annis post primam Livi fabulam editam, primam suam vel comoediam vel tragoediam docuit. Illum complures Latini scriptores testantur vehementiorem in suis operibus fuisse et homines suae aetatis, nobilissimos quidem et in re publica praecclarissimos, Metellos praesertim — in quos saturnium illum versum coniecit: « Fato Metelli Romae fiunt consules » — non solum salibus ac facetiis respersisse sed etiam iurgiis ac paene contumeliis laccessisse. Quam ob rem in custodiam est coniectus; unde, fortasse plebis tribunis adiuvantibus, postea egressus, cum eadem fere qua ante dicacitate iterum peccasset, « pulsus Roma — ut Hieron. Cron. ad Ol. 144 scribit — factione nobilium ac praecipue Metelli », Uticae in Africa anno fere CCI vita decessit.

Virum summi ingeni illum quidem fuisse satis constat ac profecto, cum natura et ardentis animi impetu, tum doctrina et litterarum iudicio Livio Andronico praestitisse. Nullum sane est dubium quin Naevius magis quam Livius suus quodam modo in scribendo fuerit. Neque enim Graeci alicuius vel summi poetae opus Latine vertere satis habuit, sed epicum poema de Romanis rebus cum sit primus condere ausus, maiorem sibi laudem comparavit. Nam poemate, quod *Bellum punicum* inscripsit quodque postea Octavius Lampadio, grammaticus insignis, in septem libros divisit, non solum belli Punici primi res celebravit,

sed Troianas fabulas cum Romanorum origine primus, ut videtur, ita composuit, ut Aeneae errores et in Italiam adventum itemque Carthaginis ortum narraret. Hinc igitur Ennius et ipse Vergilius haud pauca videntur sibi sumpsisse. Quod vel ipsum Naevio laudi tribuas licet. Neque immerito eius poema magno in honore apud Romanos diu fuit, obsoletis quidem verbis horridum sane et ipsum, saturniisque illis rudibus versibus compositum, sed dignum iam quod a Cicerone cum Myronis opere compararetur et adversus Ennium, quem tamen tamquam summum poetam laudibus ille extollere saepe est solitus, his verbis defenderetur (Brut. 19): « Tamen illius, quem in vatibus et Faunis adnumerat Ennius, Bellum Punicum quasi Myronis opus delectat. Sit Ennius sane, ut est certe, perfectior; qui si illum, ut simulat, contemneret, non, omnia bella persequens, primum illud Punicum acerrimum bellum reliquisset ». <sup>1</sup> Quin etiam idem Cicero, magnus ille et fortasse nimius Enni laudator, Ennium his verbis fere aggreditur: « Nec vero — inquit — tibi (sc. Ennio) aliter videri debet, qui a Naevio vel sumpsisti multa, si fateris, vel, si negas, surripuisti ».

*Comoedias* Naevius *palliatae* <sup>2</sup> complures scripsit. Ex quibus plus triginta inscriptiones exstant <sup>3</sup> et nonnullae particulae. Illud nulla ratione praetermittere possum, Naevium etiam hoc in genere aliquid novi instituisse; nam *contaminationem*, quam appellant, primus adhibuit. *Contaminatio* autem tum fit, cum duarum vel plurium Graecarum comoediarum partes in unam Latinam fabulam componuntur. Neque in tragoediis nihil immutavit. Non solum enim a Graecis argumenta duxit et *cothurnatas*, <sup>4</sup> quas vocant, scripsit, sed etiam fabulas *praetextas* vel *praetextatas* primus invenit, quibus iam non Graecos, sed Romanos duces praeclarissimosque viros, maximis hono-

1. Haec postrema verba quo facilius intellegas, vide infra de Enni *Analibus* locum.

2. Sic enim a *pallio*, Graeco vestimento, eas comoedias appellant, quas Latini scriptores a Graecis sibi imitandas vel Latine vertendas sumpserunt. Qua de re plura infra declarabimus.

3. Ut *Corollaria*, ut *Personata*, ut *Apella*, ut *Tarentilla*.

4. Naevi sex huius generis fabularum inscriptiones exstant, quarum est dignissima quae memoretur *Equos Troianus*.

ribus insignes, *toga praetexta* indutos ita in scaenam induxit, ut maximas Romanas res celebraret atque commemoraret. Duas huius generis fabulas eum docuisse constat, quarum alteram *Clastidium* inscripserit — nam insignem illam celebravisse victoriam videtur, quam M. Claudius Marcellus consul ad Clastidium, in Gallia Cispadana, anno CCXXII de Virudumaro, Gallorum duce, una cum spoliis opimis est adeptus — altera vero, quae *Romulus* inscripta sit, de Romae origine eiusque conditore egerit.

Multum igitur per Gnaeum Naevium Latinae litterae profecerunt.

### T. Maccius Plautus.

Post hunc, si temporum ordinem serves, T. Maccius Plautus ponendus. Nam anno ferme CCLIV Sarsinae, parvo in Umbriae oppido, humili loco natus est. De ipsius vita quaedam Aulus Gellius (III, 3, 3) tradit, quae, cum fore incredibilia sint, nonnulli grammatici, diligentiores fortasse ac nimis molesti, reiciant ac negent; nos vero, cum consideremus Gellium a viris doctissimis ac diligentissimis, ut a Varrone Reatino, ea hausisse, facile adducimur, ut vera esse credamus. Haec autem A. Gellius scribit: « *Saturionem* et *Addictum* (ita duae comoediae inscriptae sunt) et tertiam quandam, cuius nunc mihi nomen non suppetit, in pistrino eum scripsisse Varro et plerique alii memoriae tradiderunt, cum, pecunia omni, quam in operis artificum scaenicorum pepererat, in mercatibus perdita, inops Romam redisset, et ob quaerendum victum ad circumagendas molas, quae *trusatiles* appellantur, operam pistori locasset ».

Hinc tria colligere licet: unum, pecuniam Plautum operis artificum scaenicorum sibi comparavisse; deinde eam omnino in mercatibus perdidisse; tum ad circumagendas molas operam pistori in pistrino locasse, ita tamen ut tres fabulas scriberet.

Comoedias Plautus multas sane edidit; plures tamen (CXXX) ei attributae sunt ab iis, quibus emolumento fuit quam plurimos ad theatra concurrere. Integrae vi-

ginti<sup>1</sup> ad nos pervenerunt, quae, cum a Varrone illo Reatino, viro in quaestionibus Plautinis perpendendis diligentissimo, a ceteris tamquam vere Plautinae seiunctae sint, fabulae Varronianae appellantur. Quarum ea acta est prima, quae *Miles Gloriosus* inscribitur. Hoc igitur omnium Latinorum operum, quae exstant, primum temporis ordine atque antiquissimum habemus. Ex ceteris dignissimae quae memorentur hae fabulae mihi videntur esse: *Amphitruo*, quae nobis totius antiquitatis una ostendit quales fuerint *hilarotragoediae* vel fabulae *Rhintonicae*;<sup>2</sup> *Captivi*, quae a reliquis eo differt quod animi sensus molliores ac suaviores ostendit et salibus ac facetiis minus abundat, cum de patre quodam, Hegione, agat, anxie filios duos quaerente — nam alter captus est in pugna, « alium quadrimum fugiens servus vendidit », <sup>3</sup> utrumque autem Hegio sub finem operis magno cum gaudio invenit —. Hanc fabulam valde Plauto ipsi placuisse constat; multi praeterea poetae eam postea imitati sunt, in quibus Ludovicus Ariostus comoedia quae *Suppositi* inscribitur et Calderon suo illo *Principe Constante*. Etiam *Menaechmi* multos imitatores apud Italos et Gallos et Britannos<sup>4</sup> recentioribus aetatibus invenerunt, qua fabula geminos Plautus ita inter se similes ac fere pares inducit, ut multi inde errores, multae vices et facetiae oriantur. Fabulam quae *Epidicus* inscribitur — de Epidici cuiusdam callidissimi servi fallaciis ac fraudibus agit — Plautus ipse *aeque ac se ipsum amare* quodam loco testatur. Idem etiam *Truculento* (qua in fabula meretrix quaedam avarissima primas agit partes) et *Pseudolo* (nomen est servi omnium fraudium peritissimi) valde est delectatus, si quidem Cicero (Cato M. 14,

1. *Amphitruo*, *Asinaria*, *Aulularia*, *Captivi*, *Curculio*, *Casina*, *Cistellaria*, *Epidicus*, *Bacchides*, *Mostellaria*, *Menaechmi*, *Miles Gloriosus*, *Mercator*, *Pseudolus*, *Poenulus*, *Persa*, *Rudens*, *Stichus*, *Trinummus*, *Truculentus*. Etiam *Vidulariam* Varro quidem in hoc numero posuit; huius vero fabulae nonnullae tantum particulae ad nos pervenerunt.

2. Hoc comoediarum genus quiddam est inter comoedias et tragoedias medium; inest enim locus ac risus, sed, cum una et altera persona dei alicuius partes agant, id quod in tragoediis esse solet, aliquid simile tragoediae habes.

3. Vide fabulae huius argumentum v. 2.

4. Vide in primis Villielmi Shakespearo *The Comedy of errors*.

50) « Quam gaudebat — inquit — Bello suo Punico Naevius! quam *Truculento Plautus, quam Pseudolo!* ».

Longum est omnium Plauti fabularum singillatim argumenta vel paucis tangere, neque profecto operae est praetium, praesertim cum haud multum inter se dissimilia sint. Nam in omnibus, si perpauca excipias, eadem fere hominum ingenia, easdem fere res et vices invenias. Haec a Graecorum comoedia nova, quam appellant, ille quidem sumpsit, ita tamen ut plurima ipse e se promeret atque fingeret; quamquam enim Graecorum poetarum qui ad comoediam novam pertineant perpauca exstant, quibuscum Latinae huius modi fabulae comparari possint, nullum tamen est dubium quin Plautus quam plurima immutaverit et saepissime novus atque ac plane suus exstiterit. Nam hominum naturas et mores a Graecis eum esse mutuatum quis negat? Aliter vero facere illis quidem temporibus eiusmodi poetas neque oportebat neque decebat. Hoc Livius Andronicus, hoc Naevius fecerat. Hoc spectatores volebant. Sed tantam Plautus in ea argumenta festivitatem, tantam iocandi copiam ac facultatem, tantam alacritatem infudit, tantam in sermonibus elegantiam adhibuit, tam opportunam in alienis comoediis imitandis libertatem ac varietatem sibi assumpsit, ut etiamsi optima optimorum poetarum huius generis opera exstarent, ille non solum nullum detrimentum acciperet, sed etiam multum in aestimatione proficeret. Nam quae Carolus Pascal de *Captivis* in praefatione scripsit,<sup>1</sup> de omnibus fere Plauti comoediis scribi possunt. « Omnia — inquit ille — bene disposita, omnia ad singularum personarum mores idonea hic inveniuntur.

In pingendis enim hominum moribus fuit Plautus summis poetis aequandus: nam et callidi servi et amantis ephēbi et parasiti scurrilis, otiosi, gloriosi, adsentatoris, et senis morosi, importuni, inaniter operosi, imagines optime repraesentavit et interdum per rerum vel novitatem vel discrepantiam vim comicam auxit et omnia sale facetisque adpersit ». Ad has, quas Pascal memorat, paucas adde alias

1. T. Macchi Plauti *Captivi*. Recensuit etc. C. Pascal. Aug. Taurinorum MCMXVII.

imagines, ut meretricis impudentis et avidae, ut sordidi avari, ut patris qui facillime decipiatur: en totam fero hominum habebis societatem in Plautinis fabulis agentem.

Restat ut aliam Plauto laudem tribuam: ille enim magnam versuum varietatem adhibuit, quantam in fabulis Graecorum profecto non invenit. Hoc ut satis intellegas, duas tamquam partes in palliatis fabulis secernere oportet; nam et *cantica* sunt et *diverbia*. In *diverbiis*, id est alternis sermonibus, *senarios* plerumque poetae adhibebant; at in *canticis* plura versuum genera condere solebant, quae ad lyrica carmina pertinerent. Hic, in canticis, praesertim Plautus hanc, quam supra dixi, varietatem praebet; sed etiam in *diverbia* lyricos, ut ita dicam, et versus et animi sensus ille quidem mirum in modum immisit.<sup>1</sup>

Unum facere non possum quin reprehendam: hunc poetam popelli laudes et plausus vehementius quam bonos mores amasse ac saepius in obscenitatem verborum et gestuum delapsus esse. Hoc si excipias, maximis ille laudibus est dignus. Nec iam cuiquam gravissimum illud Horati iudicium probatur, qui non sine aliquo stomacho ita in «*Arte poetica*» (v. 270 seqq.) Pisones vel potius Romanos alloquitur:

At vestri proavi Plautinos et numeros et  
laudavere sales, nimium patienter utrumque  
ne dicam stulte mirati, si modo ego et vos  
scimus inurbanum lepido seponere dicto  
legitimumque sonum. digitis callemus et aure.

Nam quod ad numeros spectat, idcirco Horatius in iudicio erravit, quod ille Latinas syllabas sua ipsius aetate iam mensuram saepe demutasse non vidit. Ac de salibus quidem Ciceronem, huius generis acerrimum existimatorem, multi sunt his sane temporibus qui sequantur. Qui in primo *de officiis* (29, 104) «*Duplex — inquit — omnino est iocandi genus, unum liberale, petulans, flagitiosum, obscenum, alterum elegans, urbanum, ingeniosum, facetum, quo genere non modo Plautus noster et Atticorum*

1. Fabulas palliatis postea a grammaticis in plures actus, non semper in quinos, divisas esse constat. Comoediis plerumque Prologum poetae ipsi praeposuerunt.

antiqua comoedia, sed etiam philosophorum Socraticorum libri referti sunt ». In quo tamen illud animadvertite, Ciceronem non omnes Plautinos sales elegantes, urbanos, ingeniosos, facetos, iudicasse, sed huiuscemodi salibus eius libros refertos esse. Itaque etiam illius deterioris generis iocos inesse ille quidem non negat.

Utcumque res est, Plautum omnes fere omnium temporum grammatici laudaverunt, Ciceronis magis lenitatem secuti quam acerbitatem Horati. Quin etiam apud Quintilianum (X, 1, 99) scriptum legimus Varronem Aclii Stilonis sententia dixisse « Musas Plautino sermone locuturas fuisse, si Latine loqui vellent ». Ac Plautina elegantia etiam in proverbio videtur fuisse, siquidem Hieronymus in *Epistula ad Pammachium*: « Haec — inquit — est Plautina elegantia, hic lepos Atticus et Musarum, ut dicunt, eloquio comparandus ».

### Quintus Ennius.

Antequam de Terentio Afro agam, qui et ipse in comoedia exstitit egregius, de Quinto Ennio, cum maior sit natu, dicere mihi quidem videtur. Qui Rudiis, parvo Messapiorum in oppido (in Calabria), anno CCXXXIX natus, pro Romanis bello Punico secundo in insula Sardinia pugnavit. Unde a M. Porcio Catone, qui Scipioni Africano quaestor obtigerat, Romam deductus est. Hoc cum Cornelius Nepos in *Vita Catonis* (I, 4) memoret, addit non minoris se aestimare quam quemlibet amplissimum Sardiniensem triumphum. Neque immerito, Ennius enim Romanorum non solum res maximis laudibus sustulit, sed etiam litteras mirum in modum locupletavit ac fovit.

Romae Ennius, ut Hieronymus (Cron. a. MDCCLXXVII) tradit, « habitavit in monte Aventino, parco admodum sumptu contentus et unius ancillae ministerio ». Quam vitae modestiam semper ille videtur servavisse. M. Fulvium Nobiliorem consulem, cum Aetolis bellum gerentem, in amicorum cohorte anno CLXXXIX comitatus est eiusque res gestas postea et Ambraciam captam, opere quod *Ambracia* inscriptum fuit, celebravit. Neque multo post a Quinto Fulvio M. f., quem Potentiam et Pisaurum colonias deducentem secutus erat, civitate est donatus ac



praenomen Quintum accepit. Quod sibi magno honori esse ipse nobili illo versu significavit:

Nos sumu' Romani qui fuimus ante Rudini.

Mortem obiit, ut Cicero testatur (Brut. 78), anno CLXIX eiusque statua in Scipionum sepulcro posita esse iam Ciceronis aetate putabatur. Hic enim (pro Archia, 9, 22) « Carus — inquit — fuit Africano superiori noster Ennius, itaque etiam in sepulcro Scipionum *putatur*<sup>1</sup> is esse constitutus ex marmore ». Illud nemo adfirmare dubitat, eum Africani superioris amicum fuisse.

Enni maximum opus *Annales*. Hoc ille insigne mehercule monumentum ad res Romanas laudibus exornandas atque extollendas exegit. XVIII libri fuerunt, versuum viginti an triginta milia fuerint parum constat. Exstant fere sescenti, ex quibus quae narraverit aliqua ex parte intellegere licet. Res Romanas ille quidem ab antiquissima Aeneae Troianorumque fabula, quam in Naevi Bello Punico iam vidimus, exorsus est. Tum cetera ita perrexit canere, ut antiquissima quaeque paucis, recentiora pluribus libris complecteretur. Res igitur primis quingentis annis gestas septem primis libris celebravit, reliqua, quae quadraginta tantum annis usque ad ipsius poetae aetatem evenerant, undecim libris persecutus est. Primum bellum Punicum tamquam in transcurso tetigit, quippe qui rem totam a Naevio iam tractatam videret; at alterum impensius ac magno animi impetu elatus peregit. Neque vero quicquam videtur ieiune cecinisse; quin etiam grandiloquens cum esset, omnia ore rotundo dixit ac divino quodam impetu instinctus amplificavit magnifice. Hunc etiam antiquorum poetarum ille contemptor, Horatius, haud semel collaudat; qui, ut verae poeticae specimen praebeat, in satira IV prioris libri (v. 60) hos eius versus ex Annalibus affert:

1. Hoc *putatur* aliquid in nobis admirationis non excitare non potest. Idem fere Livius quoque (XXXVIII, 56) tradidit. At Ovidius in *Arte Amatoria* (III, 409):

Ennius emeruit, Calabris in montibus ortus,  
contiguus ponti, Scipio magne, tibi.

postquam Discordia taetra  
belli ferratos postis portasque refregit.

Quid de laudibus dicam, quibus Cicero in suis operibus eum ad sidera tollit? Neque ipse se minoris aestimavit. Nam satis constat Ennium in Annalium prooemio praedicavisse se non nisi ipsum Homerum esse; summi enim illius Graeci poetae animum in se migrasse: Quin etiam hoc ab ipso Homero se in somnis didicisse finxit. Quod cum ex ipsis eius versibus vel potius versuum frustis, quae prima exstant, colligere licet, tum ex hoc T. Lucreti loco apparet, ubi et Ennius laudatur et de animorum migratione ratione agitur (I, 117 seqq.):

... Ennius ut noster cecinit, qui primus amoeno  
detulit ex Helicone perenni fronde coronam,  
per gentis Italas hominum quae clara clueret;

... esse Acherusia templa

Ennius aeternis exponit versibus edens,  
quo neque perveniant animae neque corpora nostra  
sed quaedam simulacra modis pallentia miris;  
unde sibi exortam semper florentis Homeri  
commemorat speciem lacrimas effundere salsas  
coepisse et rerum naturam expandere dictis.<sup>1</sup>

Ab Homero etiam versum illum hexametrum dactylicum sumpsit primusque in litteras Latinas transtulit, quae maxima laus profecto est. Inde decidit versus ille rudis Saturnius; hexameter magis magisque floruit. Neque tamen omnia in Annalibus perfecta atque absoluta fuisse censueris; multa enim inchoata ac quasi informia cum in sententiis tum in verbis et in numeris, multa sane inepte et infacete et illepide et ineleganter dicta etiam in iis, quae pauca exstant, videre licet. Quodsi eius fragmenta cum Livio Andronico et Gnaeo Naevio comparaveris, satis apparebit profecto quam multum paucis annis Latina lingua

1. Hos versus postremos quo facilius intellegas, cfr. primas Annalium reliquias ab Aloysio Valmaggi, doctissimo viro, optime explicatas: « Q. Ennio, I frammenti degli Annali editi e illustrati da Luigi Valmaggi. Torino. Chiantore, 1923 ».

per Ennium profecerit. Hunc non solum Lucretius, sed etiam Vergilius passim imitatus est. Hunc ante Vergilium sine controversia maximum in epicis Latinum poetam Romani habuerunt.

Quid quod non unum genus ille coluit? Nam tragœdias multas eum scripsisse constat; ex quibus *duarum et viginti cothurnatarum particulae et inscriptiones exstant*, unde illud colligas, Ennium Graecorum poetarum, praesertim Euripidis, fabulas ita imitatum esse, ut multa ex se prompserit, multa immutaverit, multa contaminatione illa, quam supra explicavimus, coniunxerit. Nonnullos etiam Graecorum locos videtur parum intellexisse. Tamen eius tragœdiae diu placuerunt, siquidem anno LIV a. Ch. n., plus centum annis postquam Ennius mortuus erat, eius tragœdia, quae *Andromacha aechmalotis* (i. e. captiva) inscripta, fuit, etiam tum acta magnam admirationem excitavit. Huius tragœdiae Cicero in tertio Tusculanarum (19), postquam nonnullos versus attulit, haec adiungit: « O poetam egregium!... Praeclarum carmen! est enim et rebus et verbis et modis lugubre ».

Etiam *fabulam praetextam unam* docuit, quae *Sabinae* inscripta fuit. Nam *Ambracia* non tragœdia, sed carmen quoddam in M. Fulvi Nobilioris, sic ut *Scipio* in P. Corneli Scipionis Africani Maioris honorem fuisse scriptum videtur.

Praeterea *duas palliatas* dedit, ita tamen ut non multas laudes sibi comparaverit. Idem et *Epicharmum*, quo poemate de rerum natura sano agebat, et *Protrepticum*, quo multa de moribus praecepta continebantur, composuit; et nonnullas iocosas fabellas collegit, quod opus *Sota* inscriptum fuit, Sotadem Graecum poetam profecto secutus; et *Historiam sacram* ab *Euhemero*, Messanensi quodam philosopho, Latine prosa oratione convertit, quod opus etiam *Euhemerus* inscriptum fuit. Quin etiam *Hedyphagetica* versibus eum scripsisse Apuleius in suo *De Magia libro* (XXIX) est auctor; cuius poematis etiam nonnullos versus affert. Tantam tamque variam in litterarum studiis industriam quis non vehementer miretur?

### Caecilius Statius.

At in *comoedia* inter Plautum et Terentium Caecilius Statius maxime floruit. Qui in Gallis Insubribus, fortasse Mediolani, post Clastidiensem pugnam natus, Romae primo in Caecili cuiusdam domo servus cum fuisset, deinde manumissus multas edidit comoedias; quarum alias Latine, alias et Graece et Latine, alias denique Graece tantum inscripsit: quod ipsum demonstrat, ut videtur, Graecorum moribus atque humanitati, id aetatis apud Romanos in dies gliscentibus, cum non solum non adversatum, sed etiam obsecutum esse. Eius comoediarum multae inscriptiones traditae sunt; versus fere trecenti exstant. Maxime memoria dignae fabulae quae *Synephebi*, cuius Cicero in tertio *De Natura Deorum* mediocrem locum affert, et *Plocium* inscriptae fuerunt; ex hac vero locos tres Aulus Gellius (II, 23) cum Menandro ita comparat, ut ostendat Latinum poetam in Graeca fabula convertenda multa mutavisse.

Hunc multi apud Romanos magno in honore habuerunt, quin etiam Volcaeus Sedigitus<sup>1</sup> omnium comicorum Latinorum primum iudicavit. Hanc famam Cicero quamquam *malum auctorem Latinitatis* eum iudicat (Ad Att. VII, 3, 10), tamen non omnino respuit; nam alibi (De opt. gen. or. I) « Licet — inquit — dicere et Ennium summum epicum poetam, si cui ita videtur, et Pacuvium tragicum et Caecilium fortasse comicum ». In quo tamen illa verba « si cui ita videtur » animadvertite, et « fortasse ».

### P. Terentius Afer.

Nos vero P. Terentio Afro maiorem tribuimus laudem, Volcaeam illum quem supra diximus minime secuti. Quam opinionem etiam illud quodam modo confirmat, eius comoe-

1. Librum *de poetis* senariis composuit, cuius XIII versus A. Gellius (xv. 24) tradit, ex quibus hi maxime sunt digni qui afferantur, de comicis poetis: « Caecilio palmam Statius do comico. - Plautus secundus facile exsuperat ceteros. - Dein Naevius qui fervet pretio in tertio est... - In sexto consequetur hos Terentius... - Decimum addo causa antiquitatis Ennium ». Volcaeus autem haud multo post Terentium videtur vixisse.

dias omnes, quas quidem certe scripserit, ad nos pervenisse. Terentius utrum anno CXCIV an CLXXXV natus sit, parum constat. Eius vitam Suetonius<sup>1</sup> scripsit; quae exstat. Ille igitur «P. Terentius Afer — inquit — Carthagine natus, servivit Romae Terentio Lucano senatori: a quo ob ingenium et formam non institutus modo liberaliter, sed et mature manumissus est. Quidam captum esse existimant; quod fieri nullo modo potuisse Fenestella<sup>2</sup> docet, cum inter finem secundi belli Punici et initium tertii natus sit et mortuus, nec, si a Numidis aut Getulis captus sit, ad ducem Romanum pervenire potuisset, nullo commercio inter Italicos et Afros nisi post deletam Carthaginem coepto. Hic cum multis nobilibus familiariter vixit sed maxime cum Scipione Africano<sup>3</sup> et C. Laelio... Scripsit comoedias sex, ex quibus primam *Andriam* cum aedilibus daret, iussus ante Caecilio<sup>4</sup> recitare, ad cenantem cum venisset, dictus est initium quidem fabulae, quod erat contempore vestitu, subsellio iuxta lectulum residens legisse; post paucos vero versus invitatus ut adcumberet, cenasse una; deinde cetera percussisse non sine magna Caecilii admiratione... *Eunuchus* quidem bis die acta est meruitque pretium quantum nulla antea cuiusquam comoedia, id est octo milia nummum;<sup>5</sup> propterea summa quoque titulo adscribitur.<sup>6</sup> Nam<sup>7</sup> *Adelphorum* principium Varro etiam praefert principio Menandri. Non obscura fama est adiutum Terentium in scriptis a Laelio et Scipione, quibuscum familiariter vixit.

Eandem ipse auxit: numquam enim nisi leviter se tutari conatur ut in prologo *Adelphorum* (vv. 15-21):

nam quod isti dicunt malevoli, homines nobilis  
hunc<sup>8</sup> adiutare adsidueque una scribere,

1. Vide infra de Suetonio locum.

2. Hic rerum scriptor quinquaginta fere annis a. Ch. n. videtur floruisse.

3. Scil. Minore qui vixit ab anno CLXXXV ad annum CXXIX.

4. Sc. Statio quem supra diximus.

5. I. e. sestertium.

6. I. e. in titulo etiam haec summa (octo milia sest.) scripta additur.

7. Sic ego quidem intellego quasi Suet. dicat: «Et vere T. tanti fuit; nam *Adelphorum*... etc.»

8. I. e. Terentium.

quod illi maledictum vehemens esse existumant,  
eam laudem hic ducit maxumam, quom illis placet  
qui vobis univorsis et populo placent,  
quorum opera in bello, in otio, in negotio  
suo quisque tempore usust sine superbia.

Videtur autem — pergit Suetonius — se levius defen-  
disse, quia sciebat Laelio et Scipioni non ingratham esse  
hanc opinionem: quae tamen magis et usque ad poste-  
riora tempora valuit ». (cap. II)...

« Nepos<sup>1</sup> auctore certo comperisse se ait C. Laelium  
quondam in Puteolano Kalendis Martiis admonitum ab  
uxore temporius ut discumberet,<sup>2</sup> petiisse ab ea ne inter-  
pellaretur: serius tandem ingressum triclinium, dixisse  
non saepe in scribendo magis successisse sibi: deinde ro-  
gatum ut scripta illa proferret, pronunciasset versus qui  
sunt in *Heautontimoroumeno*: «satis pol proterve me/  
Syri promissa huc induxerunt ». (cap. III) Santra<sup>3</sup> Teren-  
tium existimat, si modo in scribendo adiutoribus indigue-  
rit, non tam Scipione et Laelio uti potuisse, qui tunc adu-  
lescentuli<sup>4</sup> fuere, quam Sulpicio Gallo... vel Q. Fabio La-  
beone et M. Popillio... Post editas comoedias, nondum  
quintum atque tricesimum<sup>5</sup> egressus annum, causa evi-  
tandae opinionis, quia videbatur aliena pro suis edere, seu  
percipiendi Graecorum instituta moresque, quos perinde  
exprimeret in scriptis, egressus urbem est, neque amplius  
rediit. De morte eius Volcatius tradit:

Sed ut Afer sex populo edidit comoedias,  
iter hinc in Asiam fecit. Navim cum semel  
conscendit, visus numquam est. Sic vita vacat.

(cap. IV)

1. I. e. Cornellus Nepos.

2. Sc. ad cenandum.

3. Praeclarus grammaticus, Ciceronis aetate vixit scripsitque, praeter  
cetera, *De antiquitate verborum*.

4. Nam anno CLX, quo Adelphoc, postrema Terenti comoediarum,  
acta est, Scipio XXX ferme annos natus nihil magni vel pauca gesserat,  
sed eius gentis erat qua et ipse populo placere dii posset.

5. In nonnullis codicibus non *tricesimum*, sed *vicesimum* scriptum  
legimus; hinc Terenti annus natalis incertus manet.

Q. Cosconius redeuntem e Graecia perisse in mari dicit, cum centum et octo fabulis conversis e Menandro.<sup>1</sup> Ceteri mortuum esse in Arcadiae Stymphalo sive Leucadia<sup>2</sup> tradunt, Cn. Cornelio Dolabella M. Fulvio Nobiliore consulibus,<sup>3</sup> morbo implicitum, acri dolore ac taedio amissarum sarcinarum quas in navi praemisera ac simul fabularum quas novas fecerat... Hunc Afranius<sup>4</sup> quidem omnibus comicis praefert, scribens in *Compitalibus*: « Terentio non similem dicas quempiam ». Volcatius<sup>5</sup> autem non solum Naevio et Plauto et Caecilio, sed Licinio quoque et Atilio postponit. Cicero in *Limone*<sup>6</sup> hactenus laudat:

Tu quoque, qui solus lecto sermone, Terenti,  
 conversum expressumque Latina voce Menandrum  
 in medio populi sedatis vocibus effers,  
 quidquid come loquens atque omnia dulcia dicens..

Item C. Caesar:<sup>7</sup>

Tu quoque tu in summis, o dimidiate Menander,  
 poneris et merito, puri sermonis amator.  
 Lenibus atque utinam scriptis adiuncta foret vis,  
 comica ut aequato virtus polleret honore  
 cum Graecis, neve hac despectus parte iaceres.  
 Unum hoc maceror ac doleo tibi deesse, Terenti ».  
 (cap. V)

Hactenus Suetonius cuius *Vitam Terenti* idcirco magna ex parte attuli, quod hinc omnes fere omnium huius acta-

1. Hoc parum veri simile videtur; animadvertite autem CVIII comedias tributas esse Menandro.

2. Haec verba vario corrigunt ii qui intellegunt.

3. Re vera quo anno Terentius mortuus sit parum constat. Videtur tamen anno CLIX.

4. De hoc poeta comico vide infra.

5. Vide paulo superius ubi Volcati aliquot versus attulimus.

6. *Limon* (gr. λιμών) seu *Pratum* inscriptum fuit breve quoddam Ciceronis poema de poetis dramaticis.

7. Nunc vero sunt qui dubitent an hos versus non Caesar, sed Cicero scripsit. Quidam, ut N. Terzaghi (*Storia della Letter. Lat. vol. I, 1935*), verbun « dimidiate » ita interpretantur, ut intellegant Terentium, Caesaris seu Ciceronis sententia, non poetica virtute dimidia parte minus Menandro valore, sed ita dimidiam partem esse, ut, si cum Menandro coniunxeris, unus quidam poeta perfectus atque absolutus ab utroque conficiatur, et alter ab altero quodam modo compleatur.

tis doctorum virorum disputationes pendent. Nunc ad sex illas comoedias veniamus.

*Andria*, ut supra Suetonius dixit, prima anno CLXVI acta est: hanc Terentius e Menandri *Andria* convertit, ita tamen, ut cum aliqua scaena alterius eiusdem Graeci poetae comoediae, quae *Perinthia* inscripta fuit, contaminaverit. Viginti fere an triginta annos natus tum Terentius fuerit, incertum est, ut supra diximus.

*Hecyram*, id est *Socrum*, ab Apollodoro Carystio<sup>1</sup> conversam scripsit quidem anno insequenti (CLXV), sed non nisi anno CLX tertio relatam totam populo probavit.<sup>2</sup>

*Heautontimoroumenos* (id est *Sui ipsius punitor*) e Menandro conversa anno CLXIII, *Eunuchus*, item e Menandro, et *Phormio*, ex Apollodoro Carystio, anno CLXI, tum demum *Adelphoe*, e Menandro, anno CLX actae sunt.

Harum comoediarum potius quam argumenta tradam — nam eadem fere sunt, quae in nova illa Graecorum comoedia poetae adhibere consueverant — quid Terenti proprium sit, paucis dicere mihi videtur quidque inter hunc poetam et Plautum maxime intersit.

Plus igitur comicae virtutis, plus novitatis et festivitatis et eloquentiae et vehementiae apud Plautum; at apud Terentium maiorem in animi sensibus dulcibus ac suavibus explicandis diligentiam atque felicitatem, maiorem in meretricibus quoque verecundiam, maiorem in omnibus personis honestatem invenias. Neque enim hic patres familias in tantam morum pravitatem dilabi, ut in Plauti comoediis, videmus, neque servos tot tantisque fraudibus intentos, neque filios tam patribus matribusque infensos, neque alias huius modi illecebras. Quid igitur mirum si Terentius minus tunicato popello at multo magis nobilibus ac bene institutis hominibus placuit? Quodsi nemo fere id verum esse putat, quod illi dicebant malevoli, homi-

1. Rem ita se habere plerique viri docti nunc defendunt, quamquam in Didascalia: « tota Menandru ».

2. Nam poeta ipso per L. Ambivium prologum haec affirmat (vv. 33-42): « Quom primum eam agere coepi, pugilum gloria, — Comitum conventus, strepitus, clamor mulierum — Fecere ut ante tempus exirem foras. — Vetere in nova coepi uti consuetudine — In experiundo ut essem: refero denuo. — Primo actu placeo: quom interea rumor venit — Datum iri gladiatores, populus convolat, — Tumultuantur, clamant, pugnant de loco: — Ego interea mecum non potui tutari locum ».



nes nobiles hunc poetam *adiutare adsidueque una scribere consuevisse*, tamen eo adducuntur, ut credant Terentium a societate sermonibusque clarissimorum virorum, quibus familiariter usus sit, multa ac praesertim sanum quoddam iudicium atque honestatis studium sibi sumpsisse. Alia vero malevoli illi Terentio obiecerunt, et quod nimis multa in Graecis fabulis convertendis mutaret, et quod *contaminatione* illa, quam supra diximus, uteretur, et quod Naevium Plautumque compilarct. Omnium autem malevolentissimus *Luscius* quidam *Lanuvinus*, et ipse comicus poeta, videtur fuisse. Haec crimina Terentius diluere haud semel conatur, praesertim in prologis, quos ille ita fere adhibet, ut se ab *inimicis* atque *iniquis* detractoribus defendat eosque obiurget. Contaminationem quidem etiam Naevium et Plautum adhibuisse: hos se secutum esse et auctores habere; neque tamen iis surripere quidquam, sed omnia a Graecis poetis tamquam a fontibus haurire. Itaque Prologus in *Heautontimoroumeno* « inimici — inquit — cum hunc poetam accusant,

Naevium, Plautum, Ennium<sup>1</sup>  
accusant, quos hic noster auctores habet,  
quorum aemulari exoptat negligentiam  
potius quam istorum obscuram diligentiam ».

In quo Terentius quidem videtur mutata tempora parum intellexisse. Iam enim multi illius aetatis grammatici ac viri docti fuerunt, qui Graecos poetas maiore diligentia convertendos censerent nulla licentia adhibita, illamque Plauti et Naevi negligentiam tantum superioribus temporibus iam esse concedendam. Ille tamen Plauto multo est in convertendo diligentior.

Terentium, ut supra etiam Suetonius dixit, multi laudaverunt. Eius elegantiam sermonis Cicero haud uno loco memorat, M. Varro terti generis orationis quod est μέσον, vel *mediocre*, exemplum esse dixit; praeterea laudarunt et imitati sunt recentioribus aetatibus multi, itemque multi hodie magno in honore habent ac studiose legunt.

1. Hinc colligi posse videtur Caecilium contaminationem non adhibuisse.

### Titinius et Afranius et Atta.

Dum Terentius in *palliata* floret, novum comoediae genus *Titinius* quidam videtur primus in scaenam intulisse, *fabulam* dico *togatam*, cuius nomen idcirco a *toga*, propria Romanorum veste, ductum est, quod res iam non in Graecia, sed in medio Romanorum popello, in urbe vel ruri, agi poetae fingeant. Hoc genus, quamvis et paucioribus personis et brevioribus scaenis actibusque et maiore argumentorum simplicitate niteretur, tamen illis Plauti et Terenti comoediis haud multum dissimile fuit. In *togatis* praeter ceteros *Afranius*, qui anno ferme CL natus est, maximam sibi laudem comparavit tantamque gratiam apud populum invenit, ut Plautum ipsum fama fere aequaverit. Hunc Cicero *perargutum* et *disertum* dicit, hunc Velleius Paterculus magno in honore habet, hunc Quintilianus *togatis excellere* affirmat, quin etiam ille Horati versus, omnibus est notus (Epist. II, I, 57): « Dicitur Afrani toga convenisse Menandro ».

Ille enim Menandrum potissimum auctorem, sic ut Terentius, secutus est.

Tertius ac fortasse postremus *Quinctius Atta* togatas scripsit, quem satis constat non ante annum LXXVIII vita decessisse. Eius togatae diu placuerunt.

Horum poetarum inscriptiones multae, nonnulli versus exstant. Postea vero togata brevi defloruit omnemque gratiam amisit.

### Pacuvius et Accius.

At in tragoedia *M. Pacuvius* et *L. Accius* summi poetae exstiterunt. Quorum alter, Pacuvius, anno ferme CCXX Brundisii ex Enni sorore natus et praeclaris postea viris, praesertim C. Laelio et P. Cornelio Scipione Aemiliano, familiariter usus, cum in pictura nonnihil valuit, tum tragoedias haud sane multas scripsit, sed, ut videtur, et mentione et laude dignas. Idem senectute et morbo postquam laborare coepit, Roma, ut otio aegritudinem levaret, Tarentum concessit, ubi nonaginta ferme annos natus mortem obiit.

De eius pictura Plinius in XXXV Hist. nat. cap. VII: « Proxime — inquit — celebrata est, in foro Boario aede Herculis, Pacuvii poetae pictura. Ennii sorore genitus hic fuit: clarioremque eam artem Romae fecit gloria scaenae ».

Ex illius tragoediis duodecim inscriptiones ex tant et nonnullae particulae. *Antiopam* Cicero pernotuisse ac multis suae aetatis placere significat, cum haec scribat (Acad. Prior. II, 7): « quam multa, quae nos fugiunt, in cantu exaudiunt in eo genere exercitati, qui primo inflatu tibi-cinis *Antiopam* esse aiunt... ».

*Armorum iudicium* diu placuisse vel ex hoc Suetoni loco (Caes. 84) colligi potest: nam Suetonius cum Caesaris interfecti funus describat, « inter ludos — inquit — cantata sunt quaedam, ad miserationem et invidiam caedis eius accomodata, ex Pacuvi *Armorum Iudicio*: Men servasse, ut essent qui me perderent? ».

Etiam *Ilionam* Cicero et *Teucrum* diu in scaenis valuisse non uno loco ostendit. Quin etiam *Niptra* (id est Balineum) in Tusculanarum secundo ita laudat, ut huius fabulae locum quemdam cum Sophocle comparet neque dubitet quin Pacuvius superior, ut ita dicam, ex hac comparatione discedat. Nam « Pacuvius — inquit — hoc melius quam Sophocles ». Illi tamen idem Cicero pravam latinitatem, ut Caecilio Statio, obicit atque reprehendit, eumque dicit *male locutum esse* (Brut. 258). At Varro eum *ubertatis* exemplum esse dixit.

Praetextam quoque fabulam unam Pacuvius edidit, quae *Paulus* inscripta fuit. Hac ille L. Pauli Aemili insignem de Perseo ad Pydnam victoriam haud scimus an celebraverit. Illud inter omnes satis constat, cum in *cothurnatis* quas appellant Sophoclem potissimum auctorem secutum esse.

Huic *Lucium Accium* plerique viri docti et anteposuerunt et etiam nunc in aestimatione anteponunt. Qui Pisauri, quam coloniam Q. Fulvium Nobiliorem deduxisse supra demonstravimus, anno ferme CLXX humili loco natus — nam eius patrem libertinum fuisse constat — ingenti quadam superbia<sup>1</sup> elatus atque impulsus, litterarum studio vacavit.

1. Valerius Maximus (III, 7, 11) « Is inquit Iulio Caesari (scil. Straboni), amplissimo et florentissimo viro, in collegium poetarum venienti

Ille quidem plura haud unius generis opera scripsit: nam eius et *Didascalica* novem in libros divisa versibusque conscripta et *Pragmaticon* libri et *Parerga* et *Annales* a Latinis posteriorum temporum scriptoribus memorantur. Tragoediis tamen maximam sibi famam comparavit. Hunc narrant iuvenem admodum Tarentum se contulisse Pacuviumque poetam L fere annis maiorem natu adisse, ut apud eum tragoediam suam, quae inscripta fuerit *Atreus*, recitaret; cum autem Pacuvius versus illos graves et magnificos laudaret, aliquid tamen asperi inesse in tragoedia quereretur, Accium hoc iudicio laetatum esse: nam bonos quidem fructus duriores atque asperiores nasci solere, deinde temporis cursu molliores fieri, malos statim dulces gigni ac cito vitiari.

Etiam hic in tragoediis plurima a Sophocle sumpsit, ita tamen ut multa libertate uteretur ac saepe etiam Aeschylum imitaretur: nam contaminationem cum late adhiberet, non solum plures eiusdem tragoedias in unam contulit, sed etiam in una eademque fabula plures plurium Graecorum poetarum locos suo ipsius arbitrio composuit. Idem *canticis*, quae in Graecorum chori locum superiores iam Latini tragici poetae reposuerant, stabilem quandam ac propriam formam constituit.

Ex eius tragoediis XLV fere inscriptiones, versus multi exstant; ex quibus intellegas Accium et antiquas de Troiano bello res et Pelopidarum casus et Thebanorum vices et alias fabulas retractavisse. Praeterea duas praetextas edidit, quarum altera *Brutus*,<sup>1</sup> altera *Aeneadae seu Decius* inscripta fuit.

Acci tragoediae diu in honore fuerunt; quin etiam C. Iuli Caesaris aetate haud semel actae varia partium studia in re publica excitaverunt. Quod plures Ciceronis loci confirmant.

numquam surrexit, non maiestatis eius immemor, sed quod in comparatione communium studiorum (nam etiam Caesar tragoedias scripsit) allquanto superiorem se esse confideret. Quapropter insolenti crimine caruit, quia ibi voluminum, non imaginum, certamina exercerentur. Plinius autem (H. N. XXXIV, 10): «Notatum inquit ab auctoribus est L. Accium poetam in Camenarum aede maxima forma statuam sibi posuisse, cum brevis admodum fuisset». Cf. etiam A. Gellium XIII, 2, 2.

1. De Bruto illo agebat qui Tarquinius exegit.

Hunc Cicero modo *summum* modo *gravem et ingeniosum poetam*, Horatius *altum* iudicat, Ovidius fuisse *animosi oris* dicit, Quintilianus (X, 1, 97) una cum Pacuvio ita laudat: « Tragoediae — inquit — scriptores veterum Accius atque Pacuvius clarissimi gravitate sententiarum, verborum pondere, auctoritate personarum. Ceterum nitor et summa in excolendis operibus manus magis videri potest temporibus quam ipsis defuisse; virium tamen Accio plus tribuitur, Pacuvium videri doctiorem qui esse docti affectant volunt ».

Ceteros illius aetatis vel comoediae vel tragoediae scriptores, cum minoris sane momenti sint, praetermittam. At quo melius intellegas quantam hi poetae, quos supra dixi, etiam Augusti aetate gratiam apud plerosque Romanos habuerint, mihi videtur hic paucos illos Horati versiculos afferre, quibus vero iudicium ille non suum sed populi Romani significat (Epist. II, 1, 55 seqq.):

Ambigitur quotiens uter utro sit prior, aufert  
 Pacuvius docti famam senis, Accius alti,  
 dicitur Afrani toga convenisse Menandro,  
 Plautus ad exemplar Siculi properare Epicharmi,  
 vincere Caecilius gravitate, Terentius arte.  
 Hos ediscit et hos arto stipata theatro  
 spectat Roma potens, habet hos numeratque poetas  
 ad nostrum tempus Livi scriptoris ab aevo...

Vere dramatici generis haec fuit aurea aetas; neque enim postea tragoedia aut comoedia ita floruit ut Plauti et Terenti, ut Pacuvi et Acci temporibus.

### De Satira.

« *Satura* quidem — Quintilianus (X, 1, 93) inquit — tota nostra (id est Latina) est, in qua primus insignem laudem adeptus Lucilius quosdam ita deditos sibi adhuc<sup>1</sup> habet amatores, ut eum non eius modo operis auctoribus sed omnibus poetis praeferre non dubitent. Ego quantum ab illis, tantum ab Horatio dissentio, qui Lucilium *fluere*

1. Meminisse oportet haec Quintilianum Domitiani aetate scripsisse.

*lutulentum et esse aliquid quod tollere possis*<sup>1</sup> putat. Nam eruditio in eo mira et libertas atque inde acerbitas et abunde salis ». Saturam vero Horatius a prisca Graecorum comoedia, salibus ac dicacitate referta, pendere censet. Nam

hinc — inquit — omnis pendet Lucilius, hosce<sup>2</sup> secutus mutatis tantum pedibus numerisque, facetus, emunctae naris, durus componere versus.

Neque tamen diligenter quidem consideranti inter Horati et Quintiliani opiniones multum videtur interesse. Nam Horatius de rebus atque argumentis et salibus agit, quae ad saturam spectant, Quintilianus de ipso litterarum genere, quod saturam appellant, nullum est dubium quin disputet. Quodsi quaeras uter rectius dixerit, Horatius etiam hoc loco, ut in aliis multis, nimis fortasse illi in veteres Latinos poetas acerbitati indulgit atque opinionem illam suam secutus est qua omne fere litterarum decus solis Graecis tribuit; at Quintilianus suo illo studio fortasse est impulsus egregiis Graecorum vel scriptoribus vel poetis unum et alterum Romanum virum opponendi. Illud animadvertere oportet, Latinam satiram Graecorum salibus minime indignuisse: nam in Latino Italiceque genere illud *italum acetum*, quod Horatius ipse appellat, innatum fuit ac paene proprium. Hoc etiam in dramaticis, ut ita dicam, illis agrestibusque satiris fuisse videmus, quarum nomen ipsum iam explicavimus. Verum inter saturas illas et Enni saturas multum profecto interfuit itemque inter Enni et Lucili satiras. Hoc tamen earum commune fuit: magna illa varietas cum rerum sententiarumque, tum versuum ac numerorum. Enni saturae quales fuerint parum constat; sed veri simile est nonnisi varia quaedam de variis diversisque rebus minimeque inter se cohaerentibus poemata fuisse, versibus numerisque variis separatim ac temere fusa. Hoc genus Lucilius cum illo agrestium saturarum Italo aceto quodam modo coniunxit salibus-

1. Hor. Sat. 1, 4, 11: «... cum fueret lutulentus erat quod tollere velles » et Sat. I. 10, 50-51: « at dixi flere hunc lutulentum saepe ferentem — plura quidem tollenda relinquendis ».

2. I. e. Eupolin et Cratinum et Aristophanem atque alios « quorum comoedia prisca virorum est ». (ibid. 1-2).

que ita locupletavit, ut novum fere reddiderit et satiram primus invenisse videatur. Nam Horatius ipse (Sat. II, 1, 62 seqq.): « Lucilius — inquit — est ausus

primus in hunc operis carmina componere morem  
destruere et pellem, nitidus qua quisque per ora  
cederet introrsum turpis...

primores populi arripuit populumque tributim,  
scilicet uni aequus virtuti atque eius amicis ».

Idem paulo supra (vv. 10-11) Lucilium *sale multo urbem defricuisse* dicit.

Nunc vero pauca de C. LUCILI vita memorare oportet. Qui Suessae Auruncae, in « Latio novo », anno, ut videtur, CLXXX equestri loco natus, cum admodum juvenis Romam se contulisset, mox in clarissimis clarissimorum virorum domibus versatus, in intimam Scipionis Aemiliani ac Laeli amicitiam atque familiaritatem venit. Publicos honores non petivit, quippe qui non civis Romanus esset, sed tantum, ut Suessanus, socius nominis Latini. Bello Numantino P. Cornelio Scipione, quem supra diximus, duce, anno CXXXIV militavit; quo in tempore praeclara profecto ingenia cognovit; satis enim constat apud P. Scipionem multos fuisse viros non solum litterarum studiis postea insignes, ut Polybium, nobilissimum illum rerum scriptorem, ut Panaetium, egregium philosophum, ut Sempronium Asellionem, gravem Annalium scriptorem, sed etiam eos qui magnam in re publica famam sibi essent comparaturi, ut C. Gracchum, ut Marium, ut denique Jugurtham. Amicos praeter Scipionem et Laelium multos habuit, sed etiam inimicos; neque enim aliter fieri poterat, cum Scipio et Laelius, quamvis tot tantisque rebus spectati, tamen multorum in odio essent. Omnium maximo duos Lucilius acri dente laccessivit vel potius, ut Horati verbis utar, *sale defricuit*, Q. Caecilium Metellum Macedonicum, Scipioni inimicum, et L. Cornelium Lentulum Lupum, qui Caecilio Metello censore princeps fuit senatus. Eo facilius autem magnam in salibus libertatem adhibuit, quod, cum satis superque pecuniae haberet et honoribus minime serviret et insignium virorum amicitias floreret, se in nullius potestate, sed sui iuris esse plane sen-

tiebat. Versus iam aetate provector videtur primo scripsisse. Idem postquam senectute et morbo laborare coepit, ut valetudinem atque aetatem salubritate caeli levaret, Neapolim concessit. Ubi anno CII vel CI mortem obiit.

Satirarum triginta libros scripsit, qui in tres partes distributi fuisse et ita ordine redacti videntur, ut postremi apparerent qui primi compositi essent (libri XXVI-XXX). Versus in primis quos scripsit libris septenarios trochaeicos et senarios iambicos adhibuit; mox hexametrum dactylicum ita ceteris praetulit, ut hoc uno uteretur. Hinc hexameter satirarum versus paene proprius factus est. Ex tanto opere mille et trecenti versus ferme exstant iique e tam diversis locis collectis ut saepe perpauca intellegere possimus. Tamen unam et alteram interdum particulam invenimus quae magnum illud Lucili ingenium vel potius urbanitatem et acerbicatem ostendat. Illud animadvertas oportet, non in omnibus satiris Lucilium mordacitatem et sales adhibuisse: interdum enim hoc poesis genere illum usum esse constat, ut aliquid narraret vel describeret, omni inimicos lacesse consilio omisso. Itaque in libro III<sup>1</sup> iter narravit quod ab Urbe in Siciliam fecit; alibi suos ipsius casus, sua ipsius cogitata ac memorias vel exposuit vel tetigit; quae si perpenderis, melius profecto intelleges quid Horatius significare voluerit his versibus (Sat. II, 1, 30-34):

ille voluit fidis arcana sodalibus olim  
 credebat libris, neque, si male cesserat usquam,  
 decurrens alio, neque si bene: quo fit ut omnis  
 votiva pateat veluti descripta tabella  
 vita senis.

### De prosa oratione.

Hactenus de poetis. Nunc ex iis qui prosa oratione scripserunt videamus qui maximi extiterint. Nam illa aetate primi et rerum scriptores et veri oratores fuerunt.

1. Hunc Horatius in Sat. 1, 5 imitatus est.



Rerum scriptores antiquissimos Graecum sermonem adhibuisse constat; in iis Q. FABIVS PICTOR et A. CINCIVS ALIMENTVS primum obtinuerunt locum. Uterque bello Punico secundo inter duces pugnavit, uterque vir praecellarissimus ac senator fuit, uterque res Romanas ab Urbe condita ad secundum bellum Punicum confectum Graece narravit, quod opus uterque Annales inscripsit, illum videlicet pontificum morem quodam modo secutus, cum omnia ita exponeret, ut quae quoque anno gesta essent continua narratione continerentur coniuncta. Fabium in suis Annalibus scribendis etiam illud petivisse constat, ut Philinum quendam, Graecum rerum scriptorem, confutaret atque refelleret: hic enim res belli Punici ita narraverat ut Carthaginiensibus favere, Romanis adversari videretur.

Quod autem veteres illi Annalium scriptores Graecam linguam adhibuerunt, non est illis crimini tribuendum: nam idcirco Graece videntur scripsisse, ut, cum Latinus sermo angustis finibus contineretur, Graecus latissime pateret ac fere toto terrarum orbe vigeret, non in paucis hominibus, sed in omnibus fere gentibus res Romanas extollerent atque celebrarent. Neque tamen hic mos servandus erat; neque vero decebat Romanos, qui tot tantasque gentes iam subegissent aliasque in eo essent ut subigerent, hac in re inferioribus illis, non iam Graecis sed Graeculis, morem genere.

Hoc summus vir, summo ingenio praeditus, M. PORCIUS CATO primus animadvertit atque constantissime defendit. Qui — ut Cornelius Nepos in Vita eius tradit — « ortus municipio Tusculo » (anno, ut videtur, CCXXXIV; viginti igitur annis postquam Plautus natus erat) « adolescentulus priusquam honoribus operam daret versatus est in Sabinis, quod ibi heredium a patre relictum habebat. Inde hortatu Valeri Flacci, quem in consulatu censuraque habuit collegam... Romam demigravit in foroque esse coepit. Primum stipendium meruit annorum decem septemque Q. Fabio M. Claudio consulibus » (i. e. anno CCXIV a. Ch. n., vicesimo aetatis) « tribunus militum in Sicilia fuit. Inde ut rediit, castra secutus est C. Claudi Neronis (a. CCVII) magnique opera eius existimata est in proelio apud Senam, quo cecidit Hasdrubal, frater Hannibalis. Quae-

stor (a. CCIV) obtigit P. Africano consuli» (re vera nondum « Africano » nec iam consuli sed proconsuli); « cum quo non pro sortis necessitudine vixit:<sup>1</sup> namque ab eo perpetua dissensit vita. Aedilis plebi factus est cum C. Helvio.

Praetor (a. CXCVIII) provinciam obtinuit Sardiniam, ex qua quaestor superiore tempore ex Africa decedens Q. Ennium poetam deduxerat; quod non minoris aestimamus quam quemlibet amplissimum Sardiniensem triumphum. Consulatum gessit cum L. Valerio Flacco, sorte provinciam nactus Hispaniam citeriorem ex quo ea triumphum deportavit (a. CXCV). Ibi cum diutius moraretur, P. Scipio Africanus consul iterum, cuius in priore consulatu quaestor fuerat, voluit eum de provincia depellere et ipse ei succedere; neque hoc per senatum efficere potuit, cum quidem Scipio principatum in civitate obtineret, quod tum non potentia, sed iure res publica administrabatur. Qua ex re iratus senatui, consulatu peracto privatus in urbe mansit. At Cato, censor cum eodem Flacco factus, severe praefuit ei potestati (a. CLXXXIV). Nam et in complures nobiles animadvertit et multas res novas in edictum<sup>2</sup> addidit, qua re luxuria reprimeretur, quae iam tum incipiebat pullulare. Circiter annos octoginta usque ad extremam aetatem » (anno CXLIX ille mortem obiit, octoginta quinque annos natus) « ab adolescentia rei publicae causa suscipere inimicitias non destitit. A multis tentatus, non modo nullum detrimentum existimationis fecit, sed quoad vixit virtutum laude crevit. In omnibus rebus singulari fuit industria. Nam et agricola sollers et peritus iuris consultus et magnus imperator et probabilis orator et cupidissimus litterarum fuit ».

Haec Cornelius Nepos tradit. Quae ea de causa proferro mihi visum est, quia tota fere illius vita paucis continetur. Hinc enim etiam aliquid magni illius certaminis apparet, quod hominibus artium litterarumque Graecorum studiosis cum earum inimicis fuit, cum illi Graecorum cultum atque humanitatem laudibus extolle-

1. I. e. « cum illo non consensit cui sorte quaestor obtigerat, quamquam et oportebat et decebat consentire ».

2. Nam censores cum magistratum inierant *edictum* edebant, quo ostenderent qua via ac ratione censuram ipsi gesturi essent.

rent atque foverent, hi contra obniterentur ne Graecorum una cum artibus mores ac vitia in Romanorum rem publicam irreperent. Illis vero P. Scipio Africanus eiusque cognati et propinqui, his M. Porcius Cato praefuit. Qui cum ob Graecorum luxuriam atque mollitiam magnum populo Romano periculum impendere videret, omnibus viribus atque ingenti animi constantia contendit ut Romanos integros ac vacuos a corruptis Graecorum moribus servaret. Quodsi in acri illo certamine illiberalem nonnumquam et difficilom et morosum se praebuit, neque satis intellexit Romanorum imperium, cum ita late pateret, angustis illis veterum ac fere rudium hominum consiliis iam regi ac contineri non posse, tamen honestatis ac virtutis studio impulsus et patriae caritate incensus et mira quadam animi fortitudine praeditus, multos sane homines a vitiis, ab ineptiis, ab ignavia prohibuit, multos a turpi Graeculorum imitatione ac fere aemulatione deterruit, multos ad Latinas litteras probandas atque colendas impulit, Romanorumque mores, si non emendavit, at certe ab illecebris diu unguibus ac rostris, ut ita dicam, defensitavit. Hoc studium, hunc animi impetum, hanc constantiam mentis etiam in litteris atque operibus satis ostendit.

Quod autem ad litteras pertinet Cornelius Nepos « Earum studium — inquit — etsi senior arripuerat, tamen tantum progressum fecit, ut non facile reperiri possit neque de Graecis neque de Italicis rebus quod ei fuerit incognitum ». Idem non omnia illius opera recenset, sed ita pergit: « Ab adulescentia confecit *orationes*. Senex *historias* scribere instituit. *Earum sunt libri VII.*<sup>1</sup> Primus continet res gestas regum populi Romani; secundus et tertius, unde quaeque civitas orta sit Italica; ob quam rem omnes *Origines* videtur appellasse. In quarto autem bellum Poenicum est primum, in quinto secundum. Atque haec omnia *capitulatim*<sup>2</sup> sunt dicta. Reliqua quoque bella pari modo per-

1. Nunc vero perierunt.

2. Hoc verbo quid Cornelius Nepos significaverit non satis apparet. Videtur tamen dicere Catonem, non in singulos annos res digessisse, sed ea, quae ad eundem rerum ordinem pertinerent, continua narratione exposuisse, hoc in genere Annallum scriptores minime secutum.

secutus est usque ad praeturam Servi Galbae, qui diripuit Lusitanos» (i. e. ad annum CL). «*Atque horum bellorum duces non nominavit sed sine nominibus res notavit.*<sup>1</sup> In iisdem exposuit quae in Italia Hispanisque aut fierent aut viderentur admiranda. In quibus multa industria et diligentia comparet, nulla doctrina.»<sup>2</sup>

Haec Cornelius Nepos de Catonis operibus. Atque de *Originibus* quidem fortasse satis.<sup>3</sup> *Orationes* vero Cicero magnis laudibus dignas haud semel censet praesertim in *Bruto*. Cuius operis ut vel unum locum de Catone ipso eiusque orationibus afferam, «Quem virum — inquit — di boni! Mitto civem aut senatorem aut imperatorem; oratorem enim hoc loco quaerimus; quis illo gravior in laudando? acerbior in vituperando? in sententiis argutior? in docendo odisserendoque subtilior? Refertae sunt orationes *amplius centum quinquaginta*, quas quidem adhuc invenerim et legerim, et verbis et rebus illustribus. Licet ex his eligant ea quae notatione et laude digna sint: omnes oratoriae virtutes in eis reperientur». (*Brut.* 17, 65).

His tot tantisque laudibus tanti hac in re existimatoris quid addas? Has vero etiam maioris momenti profecto iudicabis, si cogitaveris Ciceronem in ratione ac praeceptis de arte dicendi haud plane cum Catone consensisse. Illas tamen orationes iam Ciceronis aetate pauci legere solebant.<sup>4</sup> Quid mirum, si ex tanto litterarum monumento pauca exstant?<sup>5</sup>

Neque solum *Origines* et *Orationes* Cato edidit. Nam eius totus fere *Liber de agri cultura* exstat, primum mercule opus quod oratione quidem soluta ad nos pervenerit. Huc multa ille praecepta ad usum pertinentia con-

1. In quo ille videtur hoc sibi proposuisse, ut rerum gestarum laudem non huic aut illi summo viro, sed universo populo Romano tribueret.

2. Huius quoque verbi vim haud ponitus perspicimus hoc quidem loco. Sunt tamen, ut Amatucci, qui ita interpretentur un intellegant: «sine ullo artificio», quasi Cato historiam non, ut postea Cicero, oratorium opus iudicaverit.

3. Vido tamen Ciceronis laudes (*Brut.* XVII, 66).

4. Nam idem Cicero (cap. XVII incunte): «Catonem-inquit-quis nostrorum, qui quidem nunc sunt, legit?»

5. Catonis hac de arte dicendi praeclarissimae sententiae sunt: «Orator est. Marce fili, vir bonus dicendi peritus» et «Rem tene, verba sequentur».

tulit, ut dominos villarum doceret qua via ac ratione et praedia colerent et vilicis uterentur et servos in agris adhiberent et omnia disponerent ut pecuniae parcerent et maximos fructus sibi compararent. Haec omnia Catonem non tam politum aut urbanum aut liberalem quam rudiores hominem et rusticum et asperum et attentum quaesitis ostendunt, unum denique ex severis illis Sabinis quos et labore adsiduo et magna parsimonia adsuetos fuisse constat.

Praeterea *Carmen de moribus* prosa oratione, ut videtur, scripsit, cuius tres exstant particulae, et nonnullos *Libros ad Marcum filium*, quibus filium ipse suum bonis artibus et litteris instituere ita voluit, ut a Graecis eorumque moribus et institutis averteret; cuius operis ex paucis quae exstant reliquis unum locum hic praetermittere non possum. Nam « Dicam — inquit — de istis Graecis suo loco, Marce fili, quid Athenis exquisitum habeam et quod bonum sit illorum litteras inspicere, non perdiscere. Vincam nequissimum et indocile esse genus illorum. Et hoc puta vatem dixisse: quandoque ista gens suas litteras dabit, omnia corrumpet, tum etiam magis, si medicos suos huc mittet. Iurarunt inter se barbaros necare omnis medicina, sed hoc ipsum mercede facient, ut fides iis sit et facile disperdant. Nos quoque dictitant barbaros et spurcius nos quam alios Opicon<sup>1</sup> appellatione foedant. Interdixi tibi de medicis ».<sup>2</sup> En habes verba indignationis plena atque odi. Adeo ille Graecos oderat, adeo spernebat iisque iratus male dicebat.

Vicerunt tamen Scipionis partes. Nam Graecorum bonae litterae et artes magis magisque in honore apud Romanos fuere.

Cato igitur inter maximos illius aetatis et rerum scriptores et oratores primum locum tenet. Ex ceteris *rerum scriptoribus*, ut *A. Postumium Albinum* — quem Cato irrisit, quod Graece scripsisset — aliosque minoris momenti omittam, L. CALPURNIUM PISONEM Cicero (Brut. XXVII,

1. Haec appellatio iam Romae videtur significavisse « rude hominum genus atque omnis humanitatis ignarum ».

2. I. e. « Iussi te a medicis cavere ».

106) et tribunum plebis legem primum de pecuniis repetundis anno CXLIX tulisse et orationes reliquisse et « annales sane exiliter scriptos » tradit; L. CAELIUM ANTIPATRUM idem Cicero (De orat. L. II, cap. 12) super Catonem et Pictorem et Pisonem paulum se erexisse dicit et addidisse maiorem historiae sonum. Ceteros enim non exornatores rerum sed tantummodo narratores fuisse.<sup>1</sup> Hic autem *bellum Punicum secundum* VII libris ita videtur narrasse ut res, ab urbe condita, ut ceteri, repetiverit. Eundem Valerius Maximus (I, VII, 6) *certum Romanae historiae auctorem* postea appellavit.

Neque SEMPRONIUM ASELLIONEM praetermittere possum qui de *bello Numantino* ceterisque rebus quibus ipse interfuit libros XIV scripsit, opinionem de historia multo meliorem secutus: nam historia contineri dixit rerum non solum narrationem sed etiam causas causarumque nexum et ordinem. Hunc tamen Cicero censet narrationem « non ad Coelium (i. e. Coeli Antipatri more) sed potius ad antiquorum languorem et inscitiam » duxisse. Id maxime de genere dicendi intellegere oportet.

Hi omnes Latinum sermonem adhibuerunt.

Accedunt nonnulli qui suas ipsorum vitas litteris traderunt; in his M. AEMILIUS SCAURUS<sup>2</sup> praeclarissimus in re publica vir idemque orator « gravitate summa et naturali quadam auctoritate » insignis, cuius Cicero in Bruto (XXIX, 112) sua aetate esse dicit *tres ad L. Fufidium libros scriptos de vita ipsius, lectu sane utiles, quos nemo legat.*

Etiam P. RUTILIUS RUFUS, vir praeclarus ac magna praeditus animi constantia, et Q. LUTATIUS CATULUS, qui Mari in consulatu et in illa de Cimbris victoria (a. CI) collega fuit, de se scripserunt. Latine illi; at L. CORNELIUS SULLA, quem dictatorem fuisse nemo ignorat, Graece XXII libros de vita sua inchoatos reliquit: nam, ut Plutarchus<sup>3</sup> tradit, mors opus interrupit.

1. Nondum enim Pliso historiam « opus oratorium maxime » ut postea Cicero videtur iudicasse.

2. Consul fuit anno CXV, censor anno CIX, postea vero « princeps senatus ».

3. Vita Sullae, XXXVI.

*Oratores* praeter Catonem quam multi illa aetate fuerint Cicero in Bruto ostendit. Nos vero ne nomina quidem multorum notare possumus, sed maximos tantum paucis atque in transcurso, temporum ordine servato, memorabimus. Cicero igitur (Brut. 15, 57) « Quem exstet — inquit — et de quo sit memoriae proditum eloquentem fuisse et ita esse habitum, primus est M. CORNELIUS CETHEGUS, cuius eloquentiae est auctor, et idoneus quidem mea sententia, Q. Ennius, praesertim cum et ipse eum audiverit et scribat de mortuo; ex quo nulla suspicio est amicitiae causa esse mentitum ».<sup>1</sup>

Hic sane Catone maior natu fuit. At Catonis aetate L. AEMILIUS PAULUS, qui Perseum ad Pydnam vicit, et C. Titius,<sup>2</sup> eques Romanus idemque haud humilis poeta tragicus, maxime eloquentia floruerunt. « C. Titius — inquit Cicero (Brut. XLV, 167) — meo iudicio eo pervenisse videtur, quo potuit fere Latinus orator sine Graecis litteris et sine multo usu pervenire. Cuius orationes tantum argutiarum, tantum exemplorum, tantum urbanitatis habent, ut paene Attico stilo scriptae esse videantur. Easdem argutias in tragoedias satis ille quidem acute, sed parum tragice transtulit ».

Catonem consecuti aetate sunt multi. In his maxime digni qui memorentur: C. LAELIUS et P. CORNELIUS SCIPIO AEMILIANUS et his multo maior SER. SULPICIUS GALBA. Quem Cicero quidem « divinum hominem in dicendo » sed etiam « ignarum legum, haesitantem in maiorum institutis, rudem in iure civili » appellat (De orat. I, 10). Eius in dicendo vim idem Cicero in Bruto multis laudibus effert (XXII et XXIII). Quid dicam de T. et C. GRACCHIS? quos legum perturbatores et rei publicae fere oversores et homines seditiotissimos iudicaverunt ac reprehenderunt, oratores vero summos, praesertim Gaium, ipsi inimici facere non potuerunt quin laudarent. Cicero igitur qui saepe eos non solum reprehendit sed etiam iniquissimo

1. Cicero profert hic quinque Enni versus, quibus ille Cethegus laudibus effertur et « flos delibatus populi » appellatur et « Suadae medulla ».

2. Hunc Cicero quidem aetati recentiori tribuere videtur; sed ex Macrobi Saturnalibus (III, XVI, 14) colligere licet C. Titium Catonis vel Lucili aetate floruisse: cum Macrobius « Virum Aetatis Lucilianae » appellat.

animo vituperat et iuro nequos esse defendit, quod rem publicam labefactaverint, tamen praestantissimo ingenio praeditos et mira quadam dicendi vi insignes fuisse non uno loco fatetur. In Bruto quidem (c. 33) « Sed ecce — inquit — in manibus vir et praestantissimo ingenio et flagranti studio et doctus a puero, C. Gracchus. Noli enim putare quemquam, Brute, pleniorum aut uberiorum ad dicendum fuisse... Damnum enim illius immaturo interitu res Romanae Latinaeque litterae fecerunt. Utinam non tam fratri pietatem quam patriae praestare voluisset! Quam ille facile tali ingenio, diutius si vixisset,<sup>1</sup> vel paternam esset vel avitam<sup>2</sup> gloriam consecutus! Eloquentia quidem nescio an habuisset parem neminem. Grandis est verbis, sapiens sententiis, genere toto gravis. Manus extrema non accessit operibus eius; praecclare inchoata multa, perfecta non plane. Legendus, inquam, est hic orator, Brute, si quisquam alius, iuventuti; non enim solum acuere sed etiam alere ingenium potest ».

De tanto viro plura dicerem; me tempus deficit. Neque vero M. ANTONIUM et L. LICINIUM CRASSUM, postremos huius aetatis oratores, praetermittam, quos Cicero omnium oratorum facile primos fuisse dicit. Hos ille in libris *De oratore* ita colloquentes inducit, ut M. Antonius oratorem omni omnium rerum doctrina imbutum esse non oportere defendat, illam Catonis sententiam aliqua ex parte secutus, Licinius Crassus contra contendat eum omnium bonarum artium peritum esse debere; quam opinionem Cicero videtur ut suam laudare.

Horum oratorum pauca admodum exstant.

Fuerunt etiam alii mentione fortasse digni; sed iam tempus est ad maiora properare.

---

1. Satis inter omnes constat C. Gracchum triginta tres annos natum, tumultu quodam orto in foro Romano, crudelissima morte ob inimicorum saevitiam extinctum esse.

2. I. e. patris, Ti. Semproni Gracchi, qui magnus fuit dux, et P. Corneli Scipionis Africani Maioris, qui pater fuit Cornellae matris.



## DE TERTIA LITTERARUM AETATE

Tertia sequitur aetas vel potius tertiae aetatis pars prior, quae, ut supra diximus, ab anno fere LXXX, quo M. Tullius Cicero primum summi oratoris famam sibi comparavit, ad annum XXX, quo Caesar Octavianus unus totius Romanorum imperi moderator et arbiter factus est, quinquaginta annos amplectitur. Magnas res utique evenisse magnosque viros illo temporis spatio floruisse inter omnes constat. Nam vetus illa res publica a magnis quibusdam viris exagitata prius ac fere laniata, deinde in huius vel illius arbitrium paene redacta, tum magnis tumultibus turbata, postremo civili spoliata libertate, in unius potestatem ac potentiam cessit. Quam multa illo temporis spatio certamina exarserunt, quam vehementer hi senatus optimatumque auctoritatem defensitarunt, illi plebis vel potius plebeculae gliscentem lasciviam illecebris incenderunt! Hinc Marcus Tullius Cicero, bonorum, ut ipse dicit, auctoritate et legibus nixus, illinc L. Sergius Catilina cum audacissimorum hominum manu stetit. Neque multo post victorem Ciceronem P. Clodius, dux insanus insanae plebeculae, in exilium eiecit. Tum Clodium ipsum, improborum coetibus et servorum gladiatorumque telis rem publicam magis in dies labefactantem, Annius Milo tribunus plebis, quem optimates illius insaniae opposuerant, suis haud legitimis quidem armis repressit atque obtruncavit. Iamque legum magistratumque auxilium parum aut nihil valebat. Neque vetera illa Cn. Pompei merita civium modestiam obtinuerunt. Cui suum ipsius imperium ac potestatem haud scio an praeter leges confirmare cupienti vir maiore ingenio praeditus nec minore profecto belli gloria ornatus idemque validioribus copiis nixus ac vehementiore quadam audacia impulsus, C. Iulius Caesar, armatus obstitit. Hinc acerrimi illius belli civilis maxima quaeque quis ignorat? Magnanimam illam Cae-

saris virtutem eiusque miram itinerum celeritatem et summam animi constantiam et ingentes ad Pharsalum, ad Thapsum, ad Mundam, victorias iterum atque iterum celebrari ac suspici quis non audivit? Pompeium igitur eiusque partes Caesar non uno proelio vicit. Neque vero tot tantisque victoriis tot tantisque laudibus partis ille quievit; leges ille quidem novis temporibus novoque rei publicae statui aptas partim iam constituerat, partim constituturus erat nec non et bellum ingens in Parthos parabat, cum saevis illis amentium vel potius furentium hominum plus triginta pugionibus foedissime confossus mortem in ipsa curia obiit. Neque vero rei publicae libertas est vindicata, quam partium odia plebisque lascivia iamdiu extinxerant. Neque eam M. Cicero insigni illa sua ac vehementissima dicendi vi ab Antonio prospere defendit; quin ipse, qui paulo ante saevissima Caesaris dictatoris nece haud recte laetatus esset, ab Antoni sicariis, Octaviano non adversante, anno XLIII a. d. VII Id. Dec. obtruncatus est.

Hæc ætas igitur certaminum plena in re publica fuit. Neque litterarum artiumque studia tranquilla et placida fuerunt. Iam vero quam vehementer Græcorum cultui atque humanitati superiore quidem ætate Cato sit adversatus, ex iis quæ supra diximus satis apparet. Quin etiam severissimum illum Censorem iam in vita a Scipione eiusque amicis victum fuisse iam demonstravimus. Hæc quæ secuta est ætate Græcorum litteræ et artes omnia apud Romanos impedimenta vicerunt, non ita tamen — id quod haud semel iam diximus — ut Romani eorum vestigia tamquam interpretes sequerentur. Philosophia quidem, quæ anno CLV ab Urbe una cum Stoico Diogene et Carneade Academico et Critolao Peripatetico, Atheniensium legatis, expulsa erat, in Italiam fere totam ac Romam relata, late patere coepit. Ac præsertim Zenonis et Novæ quam appellant Academiae et Epicuri præcepta magis magisque apud Romanos valuerunt. Primus vero de philosophia Latine scripsisse Scipionis ac Laeli ætate C. Amafinius videtur, ut Epicuri disciplinam explicaret, « cuius libris editis — inquit Cicero, Epicuri constantissimus inimicus — commota multitudo contulit se ad eam potissi-

mum disciplinam, sive quod erat cognitu perfacilis<sup>1</sup> sive quod invitabantur inlecebris blandis voluptatis sive etiam, quia nihil erat prolatum melius, illud quod erat tenebant. (Tusc. IV, 3, 6) » Hanc doctrinam multorum flagitiorum causam fuisse nunc quidem nec adfirmare neque negare habeo in animo: illud adfirmare non dubito, ex hac disciplina magnum illud Lucreti poema originem atque argumentum duxisse. At in lyricis Catullus hac aetate ceteros facile superavit. Tum vero prosa oratione omnium Latinorum oratorum M. Tullius Cicero summus exstitit. In historia nonnihil Cornelius Nepos, plus C. Crispus Sallustius, plurimum C. Iulius Caesar valuerunt. Quid de M. Terentio Varrone, eruditissimo viro, dicam?

Verum suo quisque loco paucis commemoretur.

### T. Lucretius Carus.

T. Lucretius Carus quo anno quoque loco natus sit parum constat. Perpauca enim nec satis comperta de eius vita ab antiquis scriptoribus accepimus, quae per brevi Hieronymi Chronicon loco fere omnia continentur; nam Hieronymus sub anno XCV haec verba ponit: « T. Lucretius poeta nascitur, postea amatorio poculo in furorem versus, cum aliquot libros per intervalla insaniae conscripsisset, quos postea Cicero emendavit, propria se manu interfecit anno aetatis XLIV ». Praeterea Donatus egregius grammaticus in sua *Vergili vita*, postquam dixit Vergilium anno LV togam virilem sumpsisse, haec addit: « evenitque ut eo ipso die Lucretius poeta decederet ». Itaque aut Hieronymus aut Donatus erravit; nam si anno XCV natus et anno LV mortuus est, fieri non potest ut anno aetatis XLIV decesserit. Tamen, si eum putes anno fere XCV natum esse et paulo post quadragesimum aetatis annum decessisse, haud longe a veritate erres. De loco cum multi usque fere ad hunc diem dubitaverint an Romae ille ortus esset, nunc vero plerique, haud inanibus fisi argumentis, Pompeiis<sup>2</sup> illum haud humili Campanorum

1. Quod si bene perpenderit haud verum esse videbis.

2. Hoc Guido Della Valle, vir doctissimus, satis videtur comprobavisse cum doctissima illa dissertatione quae « Lucrezio e l'epicureismo campano » inscribitur, tum aliis opusculis.

gente natum esse adducuntur ut putent. Neque indicia desunt ex quibus Lucretium uxorem duxisse et fortasse filios habuisse et a re publica se abstinuisse et litterarum studiis ac praesertim Epicuri doctrinae deditum fuisse colligere licet.

Quod autem *amatorio poculo in furorem versum* eum dicit Hieronymus, hoc neque omnino fide dignum ego quidem, plerosque doctissimos viros secutus, esse iudico neque vero prorsus falsum. Nam et Hieronymum huius rei notitiam a Suetonio, satis probabi auctore, accepisse constat et in ipso Lucreti opere nonnulla sunt, ex quibus apparet eius animum, si non in insaniam versum, at certe vehementioribus quibusdam sensibus depravatisque opinionibus nonnumquam perturbatum fuisse et perpetua quadam maestitia laboravisse. Itaque docti sunt multi qui et poema per intervalla insaniae vel potius poetico quodam furore impulsum eum scripsisse inducuntur ut credant, et minime dubitant quin sua se manu interfecerit.

Utcumque haec se habent, nemo sane eius poema, quod *DE RERUM NATURA* inscribitur, maximi momenti esse neget. Sex complectitur libros, quibus totam fere Epicuri doctrinam ita exponit, ut pulcherrimis verborum sententiarumque ornamentis omnia vestiatur et miram quandam ingeni aciem ac vim saepissime ostendat. Memmio, ut fere omnes putant eidem qui pro praetore Bithyniam obtinuit quique in cohorte amicorum Catullum habuit, poema scripsit, quem haud semel monet ne se, cum de diis aliter ac ceteri Romani sentiat, impium iudicet.

Nunc vero quid quoque libro contineatur paucis explicemus.

*Liber primus* a pulcherrima illa incipit invocatione Veneris, quam quamvis ut deam Lucretius mirum in modum effingat, tamen ita versibus definit ut natura ipsa esse videatur vel potius vis illa naturae, quae omnia animalium genera gignat; neque enim sine illa

quicquam dias in luminis oras  
exoritur neque fit laetum neque amabile quicquam.

Tum Epicuri maximae sequuntur laudes, qui

humana ante oculos foede cum vita iaceret  
in terris oppressa gravi sub religione

primus

mortalis tendere contra  
est oculos ausus primusque obsistere contra.

Neque vero Memmius putet

impia se rationis inire elementa viamque  
indugredi sceleris: quod contra saepius illa  
religio peperit scelerosa atque impia facta.

Hoc ut demonstret, pulcherrimis coloribus illud Iphigeniae sacrificium ita describit, ut legentium animos magna misericordia afficiat. Epicuri doctrinam deinde exponere incipit, quamvis non ignoret

Graiorum obscura reperta  
difficile inlustrare Latinis versibus esse,  
multa novis verbis praesertim cum sit agendum  
propter egestatem linguae et rerum novitatem.

Totius argumenti hoc sibi principium sumit

nullam rem e nihilo gigni divinitus unquam.

Itemque nihil in nihilum reduci defendit. Naturam enim vel Omne — id quod Graeci τὸ πᾶν appellant — ex *materia* tantum constare, ita tamen ut praeter materiam etiam *inane* sit. Materiam autem omnem ex minimis particulis constare, quae nec sensibus percipi nec dividi ullo modo possint. Has, quas Graeci ἀτόμους, ille multis nominibus appellat; nam modo *corpora prima*, modo *principia*, modo *primordia rerum*, modo *semina materiae* vocat. Neque praeter materiam et inane illud quidquam esse. Cetera enim, quae esse videantur, aut *coniuncta*<sup>1</sup> corporum vel inanis illius esse aut illorum *eventa*.

Hinc postquam corpora prima nec dividi nec deleri posse argumentis iterum comprobavit, Heraclitum omnium re-

1. *Coniuncta* Italice *qualità*, *eventa* *accidenti* dicere licet.

rum principium ignem esse docentem et ceteros philosophos, quos physicos appellant, confutat. Nam

et qui principium gignendis aera rebus  
constituere aut umorem quicumque putarunt  
fingere res ipsum per se terramve creare  
omnia et in rerum naturas vertier omnis,  
magno opere a vero longe derrasse videntur. (708-712)

Itemque Empedoclem refellit:

et qui quattuor ex rebus posse omnia rentur  
ex igni terra atque anima<sup>1</sup> procreare et imbri.  
(715-716)

Tum Anaxagorae « homoeomeriam »

quam Graei memorant nec nostra dicere lingua  
concedit nobis patrii sermonis egestas

haud paucis oppugnat. Deinde « omne quod est » nulla regione viarum finitum » demonstrat nec primordia rerum ulla ratione numerari posse, sed vere innumerabilia esse, et *inane* illud, quod dixit, infinitum immensumque patere. Postremo in mundo cum inane infinitum sit, « medium nil esse » argumentis confirmat; neque vero corpora omnia in *centrum* mundi vi quadam innata tendere.

In *libro secundo*, Memmium ad doctrinae studia hortatus, de *atomorum* motu et multa praecipit et *clinamen* illud explicat quibus de causis esse necesse sit. Tum motum hunc aeternum esse defendit nec, quod sensibus cerni non possit, idcirco posse negari. Deinde de *atomorum figuris* vel formis agit: quae quamvis infinitae non sint, multas tamen esse; hinc tam varias tamque variis virtutibus praeditas res omnes apparere. Neque vero res ex atomis eiusdem figurae totas constare. Praeterea atomos neque colorem neque saporem neque frigus neque calorem neque omnino quidquam ipsas habere quod sensibus percipiatur, quamvis ex ipsis atomis constant ea quae percipiuntur sensibus. Postremo atomos, cum infinitae sint, cumque per

1. Hic « anima » idem significat quod « aer ».

infinite inane forantur, non hunc terrarum orbem conficere solum, sed infinitos.

*Liber tertius* et ipse ab Epicuri laudibus incipit. Hoc libro enim altera, ut ita dicam, poematis incipit pars. Neque iam de atomis Lucretius hic agit, sed de rebus, quae ex atomis constant. Ac primum, ut mortis metum et Acheruntis ex hominum animis exigat, *animi* naturam atque *animae* suis versibus *clarandam* esse dicit. Neque enim animum et animam idem esse. In primis animum non nisi « habitum quemdam vitalem corporis esse, harmoniam Graei quam dicunt » ille quidem negat. Nam

primum animum dico, mentem quam saepe vocamus, in quo consilium vitae regimenque locatum est, esse hominis partem nilo minus ac manus et pes atque oculi partes animantis totius exstant.

(94-97)

Tum animum atque animam inter se dicit teneri coniuncta atque unam quidem naturam conficere ex se, ita tamen ut animus tamquam caput sit et dominator in corpore toto et in media pectoris regione situs haereat, at

cetera pars animae per totum dissita corpus

sit et pareat et « ad numen mentis nomenque » moveatur. Naturam autem animi et animae postquam corpoream esse defendit, docet esse « persubtilem » et minutissimis ac maxime rotundis et levibus atomis constare « momine uti parvo possint impulsa moveri ». Praeterea animum et corpus ita inter se coniuncta esse, ut sine utriusque interitu separari non possint. Neque animum tantum, sed etiam corpus sentire vel potius totum animans, quod ex animo et corpore constet. Democriti deinde opinionem refellit, qui singulas animae particulas cum singulis corporis partibus conexas esse censuerat. Tum triginta fere argumentis illud demonstrare conatur, animos et animas una cum corporibus et nasci et perire, illamque Pythagorae de migratione animarum doctrinam deridet. Hinc haud brevis ille sequitur locus, quo mortalibus vanum mortis metum obicit; cum enim etiam animus morti sit

obnoxius, nihil mali mortem aut magnum bonum afferre, quod homines maerore et angore et corporis cruciatu omni liberet. Neque enim vitam optandam esse. Praeterea fabulas illas de Orco, de Tantalo, de Sisipho aliisque umbris horrenda poena multatis, ideo fictas fuisse, ut hominum vitia hic in terris suo quodam ipsorum pondere gravari significaretur. Homines igitur, nisi stulti esse ac stulte vivere velint, mortem ne timeant. Nam « nihil — inquit — mors est ad nos neque pertinet hilum ».

In *quarto libro*, ut explicet qua ratione res per sensus percipi possint, illam inducit *simulacrorum* doctrinam, qua docet ex omnibus rebus simulacra quaedam tenuissima gigni, quae cum oculos vel aures vel alios sensus percellant, res omnes et videre et audire et gustu et tactu et odoratu sentire possimus. Hinc multa de uno quoque sensu ac praesertim de oculorum acie disputat. Tum sensus numquam errare posse defendit. Praeterea etiam mentem simulacris moveri; hinc cogitata et imagines et somnia fieri. Deinde, ut illam Stoicorum Dei providentiam nullam esse confirmet, docet animantium sensus non ad usum esse creatos, sed eorum usum ex eo ortum esse, quod sensus casu quodam iam essent. Postremo, eadem doctrina nisus, ostendere pergit qua ratione et somni et somnia fiant: unde occasionem nactus, amoris ardorem atque venorem tam atris coloribus pingit, ut illam quam supra diximus de Lucreti insania opinionem confirmare videatur.

*Liber quintus*, qui ab aliis Epicuri laudibus incipit, de mundo, de animantibus, de hominum genere multa docet. Mundum aliquando initium habuisse, aliquando periturum esse. Semina rerum, casu et temere convenientia, terram, caelum, mare, sidera, solem, lunaeque globum fundavisse. Tum ostendit

quae tellure animantes  
exstiterint et quae nullo sint tempore natae<sup>1</sup>

et quo modo homines rerum nomina invenerint et inter se sermones miscere coeperint

---

1. Id e.: numquam fuerint sed casu insana hominum mens effinxerit.



et quibus ille modis divom metus insinuarit  
pectora, terrarum qui in orbi sancta tuetur  
fana, lacus, lucos, aras, simulacraque divom.

Neque hominum fata ex sideribus pendere: nam « deos  
securum agere aevum ». Postremo de metallis agit, de  
belli primordiis, de artibus earumque et origine et progres-  
sione. Omnium vero locus maxime dignus qui comme-  
moretur, humani generis originem et progressionem continet;  
neque enim homines ab aurea aetate ac summa vitae bea-  
titate, quam poetae finxerint, in ferrea tempora postea  
gradatim decidisse, sed contra ab asperrimo victu parum-  
per multa per saecula ad civilem cultum atque humanita-  
tem ascendisse.

*Libro sexto* eodemque postremo Lucretius postquam  
novis laudibus Epicurum extulit, caeli phaenomena expli-  
canda sibi sumit, ut etiam hac ratione homines deorum  
metu et religione liberet. Tonitrua igitur et fulmina et  
tempestates quibus de causis fiant ostendit eosque deri-  
det qui conseant fulmina ab Iove irato in terras demitti.  
Idem turbines, nubes, imbrem, Iridem, nivem, ventos,  
grandinem, pruina, golumque et terrae motus et Aetnae  
ignes et Nili eluviones et Averni lacum et alia infesta ho-  
minibus ceterisque viventibus loca et puteorum frigidio-  
rem umorem et miras quasdam quorundam fontium vir-  
tutes et lapidem quem Magneta vocant, omnia denique  
facile intellegi posse defendit, si atomorum doctrinam pe-  
nitus perspexeris. Postquam vero de aliis morbis egit, poema  
totum mira descriptione finit pestilentiae illius, quae

finibus in Cecropis funestos reddidit agros  
vastavitque vias, exhaustit civibus urbem;

quam narrationem totam a Thucydide ita sumpsit, ut  
prorsus totum illius locum Latine vertisse videatur.

Haec omnia Lucretius tanta arte exponit et imagini-  
bus sententiisque vere poeticis exprimit, ut praeter ceteros  
poetas sublimitate ingeni ac mentis acie excellere videa-  
tur. Utinam alium sibi philosophiae magistrum sibi sum-  
pisset! Neque vero nos eius doctrinam fallacesque opinio-  
nes sectamur, sed mirum illud ac fere divinum ingenium

elatumque spiritum admiramur, quo « Graiorum illa obscura reperta » eademque a poetis aliena et Latinae linguae « egestati » parum idonea, clare ille quidem et distincte et singulari quodam poetico artificio et Latine expressit. Quodsi a rerum veritate longe aberravit praesertim cum religionem ex hominum animis expellere conatus sit, tamen non odio neque invidia neque animi malignitate eum impulsum esse dixeris, sed potius confiteare est necesse eum, infinita quadam ac maesta humani generis misericordia motum, hoc sibi proposuisse, ut omnium hominum animos a mortis formidine et inanibus curis liberaret. Maximum igitur Latinae poesis, non sapientiae, hoc poema manet. Quamquam id Lucretius inchoatum reliquit. Quod autem Hieronymus dicit, id postea Ciceronem emendavisse, docti fere omnes dubitant an nihil aliud Cicero fecerit, nisi poema perlegerit et T. Pomponio Attico edendum commiserit.<sup>1</sup>

### De lyrico genere.

Illa aetate etiam *lyricum genus*, tunc primum, magnum in honorem venit. Iam enim huic generi tempora favebant, cum hominum animi, bellis ac discordiis fessi, et recedendi a re publica cupidi, suos ipsorum sensus et vitae voluptates et amores et iras et maerores ita aperire cuperent, ut vel versibus suavibus sedarent ac lenirent vel concitatis modis ac numeris incenderent atque excitarent. Neque vero illius aetatis poetae, cum Graecos hoc quoque in genere sequi studerent, summos illos antiquiorum temporum, ut Alcacum, ut Sappho, ut Simonidem, ut Pindarum, imitati sunt, sed clarissimorum Alexandrinae quam appellant aetatis poetarum, ac praesertim Philitae Coi et Euphorionis Calcidensis et Callimachi Cyrenaei ita vestigiis plerumque institerunt, ut eorum non solum virtutes, sed etiam vitia imitatione consequerentur. In virtutum numero elegantem illam ac paene exquisitam versuum apte concludendorum diligentiam ponas, at vitio curiosam

1. Neque satis compertum est Marcum an Quintum Ciceronem Hieronymus significaverit. Tamen Marcum fere omnes consent, haud levibus nixi argumentis.

et putidam et difficilem illam rarissimae vel remotissimae cuiusque rei eruditionem atque doctrinam attribuas. Praeterea non magnas iam egregiasque res canere aut magnificare poetae illi voluerunt, sed animi sensus suaves et molles aperire, sed otium et amores collaudare, sed remotissimas ac parvi momenti fabulas retexere studuerunt. Itaque cum res a Romanorum illa dignitate ac gravitate alienissimas tractarent et novam quandam artem poeticam adhiberent, POETAE NOVI vel Graece νεώτεροι appellati sunt. Hos M. Cicero Ennio illi suo, tamquam multo deteriores, opposuit, *cantoresque Euphorionis* vocavit, eorum artem nimis fortasse perosus. Hanc Latinae poeticae viam, ut ita dicam, LAEVIUS<sup>1</sup> quidam et SUEIUS<sup>2</sup> aperuerunt, primus vero VALERIUS CATO emensus est. Qui multos secum ita duxit, ut eorum fere magister fuisse videatur. Quin etiam a FURIO BIBACULO,<sup>3</sup> uno ex discipulis, his versibus laudatus est:

Cato grammaticus, Latina Siren,  
qui solus legit ac facit poetas.

Hic poemata duo videtur composuisse quae DIRAE et LYDIA inscripta fuerint. Pauci ex Lydia versus exstant, suavitatis pleni. Huic Valeri Catonis ludo multi poetae honorem attulerunt, in quibus, praeter Furium Bibaculum, quem supra dixi, LICINIUS CALVUS,<sup>4</sup> Catulli amicus quam qui maxime idemque vehemens orator, et HELVIUS CINNA<sup>5</sup> et CORNIFICIUS<sup>6</sup> maxime sunt mentione digni.

1. *Erotopaegnia* hic vel *Amoris ludos* composuit, quo opere nonnullae veteres de amoribus fabulae continebantur.

2. Hunc constat *idyllium* quoddam composuisse, quod *Moretum* inscriptum fuerit.

3. Furius Bibaculus, Cremonae natus, et epigrammata dicacitatis plena et poema epicum composuit, quod *Pragmata belli Gallici* inscriptum fuit. Eius Horatius hunc versum et memorat et reprehendit: « Iuppiter hibernas cana nive conspuat Alpes ».

4. Hunc Catullus « salaputium disertum » ridens appellavit. (*Salaputium* autem idem fortasse est quod homuncio). Nugas ille variosque lusus et epithalamia et epyllium, quod *Io* inscriptum fuit, composuit. Idem Quintilliae, quam vehementer amavit, mortem maestissimis versibus est questus.

5. In Gallia Cisalpina ortus, in Caesaris funere immerito videtur interfectus esse. Hic et epigrammata scripsit et amores eccinit; maximam tamen famam epyllo doctissimo sibi comparavit, quod inscriptum fuit *Zmyrna*.

6. C. Caesaris quaestor fuit, postea in Africa pro praetore. Scripsit *Glaucum*, quod epyllium fuit.

### C. Valerius Catullus.

Hos tamen omnes C. Valerius Catullus superavit. Qui Veronae, anno LXXXVII, haud humili loco natus et in pueritia Latinis Graecisque litteris imbutus, iam inde a XVII vitae anno aptissimum poeticae ac quasi Musis natum se esse ostendit. Romam adulescens admodum venit, ubi cum et adulescentia floreret et magno atque acri ingenio vigeret et eleganti quadam ac nativa comitate esset ornatus et pecunia minime indigeret ac maxima cum liberalitate uteretur, multorum iuvenum virorumque elegantium in familiaritatem venit. Inter eius amicos Cornelium Nepotem, haud obscurum rerum scriptorem, et Licinium Calvum et Helvium Cinnam et Cornificium poetas invenias et Fabullum quemdam et Veranium. Ipse doctis doctissimorum hominum sermonibus et disputationibus interesse, elegantium coetus frequentare, versibus cum amicis certare, malos poetas irridere, homines sibi invisos quamvis potentes dicacissimis epigrammatis mordere, amoribus ac voluptatibus indulgere. Idem inter iocos et ludos, inter facetias et lepores, interdum inter iras et curas quamvis levibus de causis graves, vitam otiosam et elegantem agitare. Postquam vero Clodiam illam, Clodi tribuni plebis sororem eandemque, ut videtur, Q. Metelli Celeris uxorem, pulcherrimam forma matronam aetatisque flore vigentem et liberalibus artibus institutam, coepit amare, ita vehementi ac fere insano amoris ardore correptus est, ut animi quietem postea inveniret nullam. Clodia enim — ille vero Lesbiam falso nomine appellat — Catulli flagrantissimo illi studio pari amore respondisse primo videtur; deinde, animi fortasse levitate impulsa, amantem fastidivit atque deseruit. Tum vero ille, de maximis gaudiis in cruciatus intolerandos deiectus, modo amarissimis versibus queritur, modo in perfidam illam et mutabilem mulierculam vehementer invehitur, modo amorem suum execratur, modo amorem odio mutare conatur, modo profitetur numquam fieri posse ut illam non amet; quin etiam odio et amore se uno eodemque tempore teneri affirmat:

Odi et amo. Quare id faciam fortasse requiris.

Nescio, sed fieri sentio et excrucior. (LXXXV)

Ab his cruciatibus fortasse ut animum abduceret et relaxaret, longum iter facere constituit. Itaque a C. Memmio Gemino in cohortem amicorum acceptus, in Asiam se contulit, anno LVII a. Ch. n. Tum celeberrimas Asiae urbes visit et in Troade sepulcrum fratris (qui quibus de causis quoque in tempore mortuus in Troade sit, parum constat) lacrimis et inferiis maestissime donavit. Deinde in Bithynia — hanc enim provinciam Memmius pro praetore regebat — totum fere annum moratus, primum Veronam, deinde Romam rediit; neque multo post, gravi morbo correptus, mortem obiit, quo tamen anno ignoramus.

Catulli exstat liber unus, quo CXVI carmina continentur, et numeris et verbis et sententiis et longitudine inter se maxime varia. Tamen ii qui intellegunt tria genera distinguere solent: sunt enim et *nugae* vel carmina minora et *carmina maiora*, quae ille Alexandrinos poetas impensius secutus composuit, vel etiam Latine convertit; sunt denique *elegi* vel *disticha elegiaca*.

*Nugae* brevia carmina sunt variis versibus exarata praesertim phaleciis hendecasyllabis, trimetris iambicis, archilochois et ipponacteis — unum autem, quod IV est, etiam trimetris puris —. Hic, in nugis, summum poetam invenias: hic animi sensum maxima veritas atque simplicitas, hic amoris ardor singularis, hic amicitiae dulcia gaudia, hic animi dolor et ira vehemens, hic ioci et lepores elegantissimi, hic denique tota fere Catulli ipsius vita tamquam mira quadam tabella descripta. Neque vero in orationis ornamentis exquirendis nimis ille moratur, neque quisquam eo magis a putido scribendi genere abhorret; quin etiam ita versus componit, verba cum a poetico tum a soluto et a populari quoque ac quotidiano sermone liberrime sumens, ut nullam fere artem adhibere, sed animi sensus verissimos maxima simplicitate aperire videatur. Quae est profecto ars summa ac perfectissima. Nugas alexandrina, ut ita dicam, carmina in libello sequuntur; in quibus maxime sunt mentione digna *Epithalamium in Manlium Torquatum ac Viniam Aurunculeiam*, et aliud certamen nuptiale, quod haud recte Epithalamium in codicibus inscriptum est, et epyllion de *Atide* galliambis

exaratum, et, praeclarissimum omnium, carmen illud LXXIV, quod alterum epyllion est, *de nuptiis Pelei et Thetidos*. Adde elegos illos de *coma Be enices*, quos a Callimacho convertit. His in carminibus Catullus magnum quidem poetam se praebet, sed cum Alexandrinos poetas praecipue imitetur, horum laudes sane attingit ac fortasse superat, verum etiam vitia, quibus ars poetica gravatur atque impeditur, nullum est dubium quin et ipse hauriat atque contrahat. Itaque, ut unum proferam, obscuritate interdum laborat. Neque tamen in hac operis parte loci desunt singularis pulcritudinis aut in Epithalamio, quod supra dixi, de Manlio Torquato et Vinia Aurunculeia aut in nuptiali certamine aut in Attide aut in Nuptiis Pelei et Thetidos; quin etiam hoc carmen, quod postremum diximus, tanta cum maiestate et dignitate et sublimitate fluit, tanta et verborum et sententiarum gravitate ad epicum genus accedit, ut ceteris huius epylliorum generis vel Graecis vel Latinis cultoribus Catullus facile praestare videatur.

Restat ut de tertia operis parte paucis dicam, quam ex elegis totam constare supra memoravi. Hic epigrammata modo faceta, modo vehementia invenias et iterum atque iterum animi sensus varios, saepius vero maestissimos. Hic enim summus ille dolor, quem a Lesbia perfida atque inconstantissima puella, accepit, sententias ac verba quam amarissima suppeditat; hic potissimum Catullum saevissimis animi cruciatibus angi ac fere assiduo dolore consumi cum sentias, facere non poteris quin una cum eo condoleas ac summa quadam miseratione afficiaris.

Praeterea illud est animadvertendum, Catullum plura versuum genera a Graecis primum, ut videtur, sumpsisse ac Latinis litteris intulisse; quam laudem Horatius postea, haud scio an veritatem quodammodo egressus, sibi vindicavit.

### De Ludis Scaenicis.

Nunc vero pauca de ludis scaenicis dicamus. Quo in genere et tragoedias et comoedias, cum palliatis tum togatas, iam superiore aetate consenuisse memoravimus. Neque Caesaris vel Ciceronis temporibus quidquam novi

in tragoedia aut comoedia scriptum est, quod quidem magni momenti esset; Plauti potius et Terenti et Enni et Pacuvi et Acci veteres fabulae iterum atque iterum in scaenam productae sunt. Tamen sub finem secundae illius, quam statuimus, aetatis vel potius hac tertia aetate ineunte, fabulas Atellanas, quas iam antiquissimis temporibus apud Italicas gentes nonnihil valuisse ostendimus, POMPONIUS quidam Bononiensis et quidam NOVIUS a rudi illa atque incondita rusticitate ad urbanitatem ac fere poeticam artem perduxerunt. At Ciceronis aetate fabulae Atellanae in *mimum* cesserunt, non in illum quidem, quem rudem admodum in ipsis Latinarum litterarum originibus invenimus, qui ex petulantissimis hominum vitiorumque imitationibus atque derisionibus constaret effrenatisque atque obscenis feminarum quoque saltationibus, nulla persona, nulla fere arte, nulla urbanitate, nulla denique modestia fureret atque baccharetur, sed in novum quemdam ac multo urbaniozem *mimum*, quem sermonibus vel alternis vel continuis ornatum et ad formam elegantem veramque artem a DECIMO LABERIO et PUBLILIO SYRO perductum fuisse inter omnes constat.

Hoc ludorum genus diu floruit etiam posterioribus aetatibus. Actores ut traditum est in scaenam prodibant mares *centumculos* induti, id est genus quoddam brevissimae tunicae variis coloribus pictae; feminae<sup>1</sup> palliolum quoddam brevissimum, cui nomen erat *ricinium*; cum autem nullis calceamentis hiterentur, *planipedes* vel *excalceati* dicebantur. Argumenta a quotidiano vitae usu, plerumque a vitiis atque flagitiis, saepissimo ab adulteriis repetebantur. Hoc vel Ovidius ita testatur:

Quid si scripsissem mimos obscena iocantes,  
 qui semper vetiti crimen amoris habent?  
 in quibus adsidue cultus procedit adulter  
 verbaque dat stulto callida nupta viro.

(Trist. II, 497-500)

Mimos igitur hominum mores corrupisse, praesertim cum ingens multitudo ad eos spectandos theatra imple-

1. Nam hoc uno in ludorum genere apud Romanos etiam feminae agebant.

ret, et idem Ovidius et alii multi, maxime tamen Christiani scriptores, iure questi sunt.

Sed, ut ad maximos illius aetatis quam nunc tractamus, mimorum scriptores revertamur, DECLMUS LABERIUS, eques Romanus, anno fere CV natus, magnam in eo genere famam sibi iam comparaverat, cum magnis ludis triumphalibus, a Caesare anno XLV indictis, singularis quidam mimorum scriptor idemque actor, PUBLILIUS SYRUS, Romanus, quo puer primum ac servus ductus fuerat, rediit. Tum vero ceteros ad certamen in scaena provocatos superavit, in quibus — ut Aulus Gellius et Macrobius tradunt — fuit etiam Laberius. Quin etiam Aulus Gellius et Macrobius multa tradiderunt de hoc certamine, quod Caesar ipse ita spectavit, ut Laberi deminutionem, cuius maledicentiam in se et arrogantiam senserat,<sup>1</sup> hoc ipso quod adesset graviolem efficeret. Quo in tempore Laberius magnum animi dolorem prologo, qui adhuc exstat, levare aliqua ex parte est conatus. Neque vero Caesarem dictatorem etiam tum mordere dubitavit; nam; « porro — inquit — Quirites libertatem perdimus » et paulo infra addidit: « Necesse est multos timeat quem multi timent ». Cui de scaena decedenti Caesar subridens: « Favente tibi me — inquit — victus es, Laberi, a Syro »; deinde palmam et victoriam Syro, at Laberio anulum aureum donavit.

Neque tamen Publilium gratia tantum Caesaris vicisse dixeris; ille enim, quamvis inter iocos et parum urbanas facetias, maiorem quemdam humanitatis sensum ostendisse videtur, siquidem Seneca, gravissimus ille philosophus, Publilium scribit tragicis comicisque vehementiorem ingeniis, quotiens mimicas ineptias et verba ad summam caveam spectantia reliquerit, multa cothurno fortiora dixisse.

Exstant e Laberi mimis plus quadraginta inscriptiones, versus fere OL; Publili Syri inscriptiones duae. Huius vero multae sententiae — mille fere versus sunt — clementorum ordine collectae ad nos pervenerunt; quamquam in iis nonnullae sunt, quas haud recte Publilio tribuas.

1. Nam Gellius (XVII, 14, 2) « C. Caesarem inquit ita Laberi maledicentia et adrogantia offendebat, ut acceptiores sibi esse Publili quam Laberi mimos praedilectet ».



## M. Tullius Cicero.

Hactenus de poetis. Nunc ad maximos prosae scriptores illius aetatis veniamus; in quibus cum operum copia ac varietate, tum perfectissimo quodam dicendi genere et singulari doctrina atque humanitate, primum omnium sane locum M. TULLIUS CICERO obtinet. Anno CVI, incunte fere mense ianuario, familia equestri ac divitiis satis instructa Arpini natus est. Romae, quo etiam tum puer venit, maximos illius aetatis oratores, Antonium et Crassum, quos supra diximus, haud semel audivit, et a Q. Mucio Scaevola, praeclarissimo illo iuris perito, multa accepit. Toga virili anno XC sumpta, bello sociali interfuit. Inde cum Romam revertisset, iterum litterarum studiis operam dedit; tum vero et Molone Rhodio, artis dicendi, et Philone Larissaeo Academico et Diodoto stoico philosophiae magistris usus est; Diodotum autem semper domi apud se tenuit. Litterarum et gloriae cupidissimus cum esset idemque summa ingeni acie ac celeritate praeditus, multa didicit, multa prima statim adulescentia temptavit. Nam et in laudem Mari, qui et ipse Arpini natus esset, poema composuit et Arati, Graeci poetae, Phaenomena, Platonisque dialogos nonnullos ac Xenophontis Oeconomicum Latine vertit; idemque *De Inventione* duos libros scripsit, quos postea, tamquam se indignos, repudiavit. Haec omnia quidem perierunt, minora sane quam ut comparisonem cum iis quae postea scripsit sustinerent.

Primam quidem orationem anno LXXXI a. Ch. n., XXVI suae vitae, *pro Quinctio* de hereditate dixit. Sed magnam sibi famam anno post comparavit, oratione illa qua Sextum Roscium Amerinum, parricidi perperam accusatum, contra Chrysogonum, Sullae libertum haud sane infirmum, constantissimo animo, quamvis dissuadentibus amicis, defendit atque servavit. Quin etiam iam inde aliquam apud populi partes gratiam invenit. Neque tamen hoc eventu atque plausu acquievit, sed paulo post, ut rerum omnium scientiam suam augetet et Graecis litteris atque artibus magis magisque inbueretur, Graeciam petiit; tum Rhodi aliquamdiu moratus, Posidonium stoicum et Molonem eundem, quem iam Romae, audivit. Qua in

peregrinatione ab orationis inflato genere quod Asiaticum appellant, cuius specimen aliquod in oratione illa pro Roscio praebuerat, paulum discessit et id genus sibi delegit quod *medium*<sup>1</sup> vel Rhodium dixerunt.

Romam post biennium revectus, in foro iterum atque iterum dixit. Anno LXXV cum quaesturam prospere petivisset, Lilybaeum missus, statim singulari quadam moderatione animi atque temperantia tantam sibi Siculorum omnium gratiam conciliavit, ut paucis post annis, cum Siculi C. Verrem, qui provinciam Siciliam praetor avarissime obtinuisset, accusare vellent, Ciceroni rem commiserint atque crediderint. Hanc causam ille tanto studio, tanta animi contentione suscepit tantaque dicendi vi atque vehementia aggressus est, ut quamvis prima in Verrem oratione crimina tantum quae futura essent significavisset iisque comprobandis alias orationes destinasset, tamen Verres damnationis ignominiam exilio voluntario praevenerit. Neque tamen Cicero, cum multa testimonia magnamque criminum materiam collegisset, orationes, quas quinque conficere statuerat, edere omisit. Quae exstant omnes ita divisae, ut prima quae fuerit *actione priore*, ceterae *actione altera*, ficta quidem, contineantur. His omnibus *Divinatio* illa in *Caecilium* antecedit, quam orationem Tullius idcirco habuit, ut Caecilium quemdam refelleret, ius suscipiendi illam causam Ciceroni negantem. Anno LXVI, cum praetor esset, legem *de imperio Cn. Pompei*, quam C. Manilius tribunus plebis ferebat ut Cn. Pompeio, qui piratas celerrime fuderat, summum imperium mithridatico bello deferretur, tam luculenta oratione in foro defendit, ut populo persuaserit.

Consulatum anno LXIII ingressus, primis statim diebus tres orationes *De lege agraria* habuit, quibus legem illam a Servilio Rullo pro popularibus latam reiecit; neque multo post *Rabirium* defendit, perduellionis reum,

---

1. Haec quo melius intellegas, scito tria tum orationis genera fuisse, quorum unum, grave et grande et copiosum et inflatum, *Asianum* appellarunt; aliud, tenue et subtile et breve ac fere ieiunum, *Atticum* dixerunt. Tertium denique, eis interiectum et tamquam medium, *Rhodium* vocaverunt.

quod ille tribunus plebis anno C, *senatus decreto ultimo*<sup>1</sup> nisus, L. Saturninum tribunum plebis rem publicam labefactantem occidisset.

Sui consulatus tamen maximam semper gloriam ipse putavit gravissimam illam Catilinae coniurationem cum orationibus illis *quattuor in Catilinam*, tum ipsius magna animi constantia repressam. Quod ita gloriatus est ut adfirmare non dubitaret Romanorum rem publicam atque imperium se unum servavisse atque optimo iure *patrem patriae* appellatum esse. In quo « non sine causa — inquit Seneca philosophus gravissimus — sed sine fine se laudavit ».

Neque tamen potuit diu illa gloria esse contentus, unde multae molestiae ortae sunt, multa pericula, multi animi cruciatus. Cum enim Catilinae eiusque parti Caesar, popularium peritissimus dux atque callidissimus, favisset, cumque Tullius coniuratis civibus Romanis capitibus damnatis, quo citius coniurationem opprimeret, appellationem ad populum negasset, maxima ac saevissima invidiae tempestas coorta est; qua in dies ingravescente, postquam intellexit Clodium tribunum plebis eundemque acerrimum vehementissimumque inimicum, plebem in se incitare atque eo impellere, ut sibi aqua et igni interdiceretur, eius iniquo consilio ut occurreret et plebis scitum occuparet, Roma profectus est. Mox vero Clodius iniquam legem tulit, quam Cicero optimique cives nullam<sup>2</sup> semper iudicarunt, non solum ut Tullio aqua et igni interdiceretur, sed etiam ne quis eum hospitio reciperet, nisi in longinquis regionibus.

Neque tamen hoc exilium diu mansit. Nam ille XVIII fere mensibus postquam Urbe egressus erat, anno LVII, ineunte mense Septembri, Lentulo Spinthere consule auctore, Pompeio favente, Milne tribuno plebis strenue insaniae illi ac furori Clodi obnitente, in patriam revocatus, summis cum honoribus, summo cum gaudio non solum

1. Hoc decreto senatus consulibus dare potestatem solebat eum interficiendi, qui rem publicam labefactaret.

2. Nam *lex fuit privata vel privilegium*. Vide Cic. « De domo sua » cap. XVII: « vetant leges sacratae, vetant XII tabulae leges privatis hominibus inrogari ».

Romanorum, sed etiam magnae Italicorum multitudinis, quæ idcirco undique concurrerat, ut tantum hominem laudibus ac clamore extolleret, Romam fere ovans rediit. Tum *Orationem post reditum in senatu* habuit et *Orationem post reditum ad Quirites*, quibus gratias et Senatui et civibus maximas egit. Neque multo post aliam orationem *De domo sua ad pontifices* dixit, ut domus sua in Palatio, quam Clodius deleverat, cuiusque arcam Libertati deae *superstitiose*<sup>1</sup> dedicaverat, sibi redderetur. Quod iure assecutus est; quin etiam ei Tusculanum illud et Formianum restituta sunt. Multas deinde orationes habuit, ex quibus clarissimæ *De provinciis consularibus*, qua Caesari favit ut eidem imperium proconsulare Galliae prorogaretur, et *Pro M. Caelio*, qua M. Caelium accusatum de vi et veneficio defendit. Omnium tamen luculentissima oratio illa videtur esse *Pro Milone*. Quæ vero cum hac inscriptione ad nos pervenit, non ita ab eo dicta est, ut legimus. Cicero enim dum Milonem homicidi reum, quod Clodium in Appia via interfecerit, defendit,<sup>2</sup> novo aspectu fori territus — nam plurimi contra iudiciorum morem armati adstabant et minaces voces plebecula extollebat et Pompeius ipso reo inimicus atque infensus videbatur esse — locum deseruit, sive quod defensionem rite concludere non est ausus sive quod illud cogitavit vel sensit, Milonem tot tantisque inimicis adversantibus nulla ratione servari posse. Postea vero orationem ornatam ac diligenter ad finem perductam<sup>3</sup> ad Milonem ipsum, Massiliam relegatum, misit, quasi cuperet suam in illum voluntatem ostendere.

Anno LI, cum proconsul Ciliciam obtineret Amanien-  
ses, barbaros Amani montis incolas, pugna devicit;<sup>4</sup> quare  
imperator a militibus est appellatus. Praeterea ita pro-  
vinciam rexit ut ipse haud immerito se iactaverit « cum  
abstinentia tum iustitia facilitate clementia » ceteros eius-

1. Vide « De domo sua » XXXIX: « superstitiosa dedicatio ».

2. Anno LII p. Ch. n.

3. Haec sane ad nos pervenit.

4. Vide *Ad fam.* II, 10: « Interea cum meis copiis omnibus vexavi Amanenses, hostes sempiternos; multi occisi, capti, reliqui dissipati; castella munita improviso adventu capta et incensa. Ita victoria iusta imperator appellatus... ».

modi magistratus vicisse.<sup>1</sup> Triumphum tamen, quem et speraverat et a senatu flagitaverat, non impetravit.

Anno XLIX paulo post quam a Cilicia Romam rediit, cum bellum civile exarsisset, M. Tullius diu cunctatus atque dubius Pompei an Caesaris partes sequeretur — uterque ei tum callide blandiebatur — ad Pompeium, qui magis rei publicae libertatem defendere velle videretur, in orientis solis partes se contulit. Neque multo post, cum Pompeius, ad Pharsalum devictus (mense Sextili, anno XLVIII) atque fugatus, in Aegypti litore perfidi illius regis iussu necatus esset, classis exercitusque Dyrhachiensis imperium a M. Catone oblatum recusavit, Brundisium recessit. Ubi insequenti anno Caesari victori occurrit eique persuasit ut sibi reditum in Urbem concederet.

Anno XLVI cum liberae rei publicae partes etiam in Africa victae essent, apud Caesarem *pro Marcello* dixit, deinde oratione *pro Ligario* effecit ut hic ab exilio revocaretur. Eodem anno multa scripsit. Praeterea divortium cum Terentia uxore fecit, quod illa rebus ac patrimonio ipsius parum consulisset. Mox Publiliam adolescentem etiam tum divitem duxit uxorem, ita tamen, ut proximo anno repudiaverit. Idem annus (XLV) aliam doloris causam Ciceroni attulit. Nam Tulliam filiam, quam valde dilexerat deliciasque suas appellare consueverat, amisit. Tum ille, animi doloribus oppressus ac miseris libertatis ac rei publicae condicionibus anxius, in praedia sua concessit, ubi in litteras ac praesertim philosophiae libros se abdedit. Aliam orationem tamen apud Caesarem dixit, qua Deiotarum, Galatiae regem, defendit, cum accusaretur quod insidias et necem Caesari parasset.

Postquam vero Idibus illis Martiis Caesar tribus et triginta vulneribus est confossus, Cicero Bruto et Cassio ceterisque coniuratis palam cum faveret, omnibus viribus contendit, ut libertatem reciperatam servaret. Sed postquam Marcus Antonius populum in coniuratos ita incitavit, ut eorum principes Roma expelleret, M. Tullius iterum et in praedia sua confugit et opera composuit multa.

1. Ad Atticum, V. 21, 5: « vicinus omnes ».

Neque tamen adversus Antonium oratione et scriptis contendere desiit. Nam *Philippicas*<sup>1</sup> illas eodem anno vel dicere vel scribere coepit, quarum numerum insequenti anno complevit a. d. X Kal. Maias, quo die postremam (XIV), luculentam sane, dixit, illud praesertim spectans, ut Antonius *hostis* a senatu appellaretur. Neque vero orationibus quievit; nam Octavianum adolescentem consilio et ope iuvit ac fovit, quo melius inimicum opprimeret. Octavianus tamen haud multis mensibus post cum tempore coactus triunviratum illum cum Antonio et Lepido inisset, tabulas proscriptionis et scribi passus est et scribendas ipse curavit, quibus multi cives iniuria interfecti sunt; in his Cicero infenso illi suo inimico, odio atque ultionis cupiditate incenso, turpiter datus est. Cuius mortem his ferme verbis T. Livius<sup>2</sup> narravit: « Marcus Cicero sub adventum triunvirorum urbe cesserat, pro certo habens, id quod erat, non magis se Antonio eripi, quam Caesari (sc. Octaviano) Cassiam et Brutum posse: primo in Tusculanum fugerat, inde transversis itineribus in Formianum, ut ab Caietanavem conscensurus, proficiscitur. Unde aliquoties in altum provectum, cum modo venti adversi retulissent, modo ipse iactationem navis, caeco volvente fluctu pati non posset, taedium tandem eum et fugae et vitae cepit, regressusque ad superiorem villam, quae paulo plus mille passibus a mari abest — moriar — inquit — in patria saepe servata. — Satis constat servos fortiter fideliterque paratos fuisse ad dimicandum; ipsum deponi lecticam et quietos pati quod sors iniqua cogeret, iussisse. Prominenti ex lectica praebentique immotam cervicem caput praecisum est. Nec satis stolidae crudelitati militum fuit; manus quoque scripsisse aliquid in Antonium exprobrantes praeciderunt. Ita relatum caput ad Antonium iussuque eius inter duas manus in rostris positum, ubi ille consul, ubi saepe consularis, ubi eo ipso anno adversus Antonium quanta nulla unquam humana vox cum admiratione eloquentiae audi-

1. Satis inter omnes constat eas ita appellatas esse, quod viderentur quodammodo Philippicis illis esse similes, quibus Demosthenes Philippi, Macedonum regis, gliscentem potentiam frangere frustra conatus est. Cicero's Philippicae XIV sunt.

2. Apud Senecam rhet. (Suas, 6).

tus fuerat: vix attollentes prae lacrimis oculos, homines intueri trucidati membra civis poterant ».

Interfectus est a. d. VII Id. Dec.

Hactenus de vita M. Tulli. Nunc ad eius opera veniamus. Iam *orationes*, quae quidem maxime essent dignae quae memorarentur quaeque cum vita ipsius conexas esse viderentur, supra paucis adnotavi. Neque quisquam ignorat orationibus praesertim cum maximam sibi gloriam comparavisse. Ad quas proxime quodammodo ea opera accedunt, quae cum praecepta de arte dicendi tradant, *rhetorica* appellant. Septem sunt, ex quibus quae inscribuntur « Partitiones oratoriae » et « De optimo genere oratorum » et « Topica ad Trebatium » et libri illi duo « De inventione » vel « rhetorici », quos adulescens viginti duos annos natus scripserat, haud magni ponderis sunt. Illa sunt maximi sane momenti « De oratore libri tres », quos anno LV a Ch. n. et « Brutus seu de claris oratoribus » et « Orator ad Marcum Brutum », quos anno XLVI edidit. Horum omnium perfectissimos, hoc quidem in genere, tres illos « De oratore » libros omnes fere iudicant. Quibus plures sermones continentur de arte dicendi; plures enim magni viri ac praeclari oratores inter se disputant de praeceptis dicendi, in quibus primum sane locum L. Licinius Crassus et M. Antonius tenent, maximi sane oratores, parum tamen in disputatione consentientes, cum oratorem M. Antonius *virum bonum dicendi peritum*, ut iam Cato senserat, Crassus hominem omnibus doctrinis imbutum atque omnium rerum scientia instructum esse debere defendat. Qua in re nullum est dubium quin Crassus ipsius Ciceronis sententiam exponat atque probet.

At libro illo, qui *Brutus* inscribitur, Cicero, postquam pauca de antiquis ac maximis Graecis oratoribus dixit, praeclaros viros Romanos recenset, qui arte dicendi aliquid vel multum potuerint, a veteribus illis qui viam ac rationem nullam sunt secuti ad eos usque, qui eadem fere aetate ac Cicero fuerunt. Historias igitur quasdam de arte dicendi et oratoribus habes. At in *Oratore* ipse profitetur se *in summo oratore fingendo talem informaturum, qualis fortasse nemo fuerit*. Ille enim eam formam perfectissimi oratoris ac speciem hoc libro exprimere voluit,

quae — ut ipsius verbis utar — neque oculis neque auri-  
bus neque ullo sensu percipi potest, quam cogitatione tan-  
tum et mente complectimur.<sup>1</sup> Huiuscemodi oratorem cum  
pingere voluerit, tamen ex suis ipsius orationibus exem-  
pla tam saepe ille quidem haurit ac sumit, ut se ipse suam-  
que artem dicendi tamquam exemplar aut perfectissimum  
aut perfectioni proximum quodammodo proposuisse vi-  
deatur. Illud autem dignum est quod animadvertatur,  
tertiam fore totius operis partem atque extremam de nu-  
meris illis oratoriis esse; neque enim numeros rem parvi  
momenti Cicero iudicavit, id quod vel ex uno hoc Orato-  
ris loco (LII, 174) colligere licet: nam « qui Isocratem  
maxime mirantur — inquit — hoc in eius summis laudi-  
bus ferunt, quod verbis solutis numeros primum adiunxit ».

Nunc ea opera paucis recenseamus quae ad philoso-  
phiam pertinent.

a) Quorum primum, si temporum ordinem respicias,  
« De re publica » libros sex memores necesse est. Hoc  
opus, si extremam partem excipias, totum perierat; sed  
Angelus Mai, doctissimus vir, anno MDCCCXII I et II  
librum, etsi non integros, in quodam codice Vaticano ite-  
rum exarato invenit; paucas adde reliquias reliquorum  
librorum. At pars extrema VI libri, quae « Somnium Sci-  
pionis » inscribi solet, una cum Macrobi, senioris scriptoris,  
commentario iam ad nos pervenerat. Hoc opus alternis  
sermonibus scriptum est, quos Cicero anno CXXIX plu-  
res praestantissimos viros inter se servisse fingit, in qui-  
bus P. Cornelius Scipio Aemilianus primum obtinet lo-  
cum; neque vero Laelium, eius amicissimum, aut Mani-  
lium iuris peritum praeteribo. Disputatio fere tota de  
optimo rei publicae genere est. In qua doctissimi illi viri  
ita disputant, ut optimum rei publicae genus illud esse vi-  
deatur, quod regia potestate et optimatum auctoritate  
et populi voluntate commixtum sit ac paene conflatum.  
Quod ipsum de imperio Romanorum Polybius, optimus  
auctor, senserat. Itaque cum optimum rei publicae sta-  
tum Cicero fingat, non ut Plato in *Politiã* eam civitatis for-  
mam quae in rerum natura sit nulla, sed tantum mente

1. Orator, II, 7 et 8 passim.



condi ac fingi possit, sed id explicat atque laudat civitatis genus, quod vere in terris fuit, cuius ipse se civem esse gloriatur, Romanorum rem publicam. Hic enim regiam potestatem apud consules, optimatum penes senatum, populi apud omnes cives comitiaque esse videt.

b) His *de re publica* libris tres illi *De legibus*<sup>1</sup> quodam modo conexi sunt, quos et ipsos Cicero a Platone hausit, qui περὶ νόμων duodecim libros scripsit, ita tamen, ut etiam Chrysippum et Panaetium stoicos sequatur et omnia fere rei publicae Romanorum accomodet atque aptet. Hoc opus ille, anno fere LII, ut videtur, inchoatum, nonnisi anno XLVI edidit.

c) Eodem anno «Paradoxa stoicorum ad M. Brutum» composuit, quibus sex stoicorum sententias a communi hominum opinione plus minusve abhorrentes ornate atque oratorie quamvis paucis exposuit ac confirmavit.

d) Hoc opus brevi temporis spatio interiecto cum alia, quae perierunt,<sup>2</sup> secuta sunt, tum *Academica priora* — libri duo fuerunt, quorum prior «Catulus», alter «Lucullus» inscriptus est — et *Academica posteriora* — in quatuor libros divisa —. Nunc vero ex *prioribus* tantum Lucullus exstat, ex *posterioribus* liber primus. De rerum cognitione Academicorum more agitur, quatenus res cognosci possint: nihil enim adfirmandum esse tamquam verum, multa *probabilia* iudicanda.

e) Maioris utique momenti libri illi quinque sunt «De finibus bonorum et malorum», quibus Cicero tres dialogos ita fingit, ut de summo bono summoque malo epicureos (I et II) et stoicos (III et IV) et Academicos peripateticosque (V) varie disputantes inducat. Qua de re satis inter omnes constat summum bonum epicureos voluptate, stoicos virtute, honestate reliquos et bona valetudine contineri solitos fuisse adfirmare.

f) «Tusculanarum disputationum» libris V disputatio in quinque dies distributa continetur inter A. (sc. Audi-

1. Opus haud sane perfectum: videtur enim quinque vel plures de hac re Cicero libros scribere voluisse.

2. *Consolatio* post Tulliae filiae obitum; *Hortensius*, quo homines ad studium philosophiae impulisse videtur; hoc opere postea Augustinum ad studium philosophiae primum conversum esse constat.

torem vel Atticum) et M. (sc. magistrum vel Marcum) *de contemnenda morte* (l. I) et *de tolerando dolore* (II) et *de aegritudine lenienda* (III) et *de reliquis animi perturbationibus* (IV); tum V et libro et die M. docet *virtutem ad beate vivendum se ipsa esse contentam*. Totum fere opus tamquam consolatio quaedam esse ad universum aegrotantium ac laborantium hominum genus videtur.

g) Anno XLIV « *De natura deorum* » libros tres edidit, in quibus disputationem inter C. Velleium epicureum et L. Balbum stoicum et C. Aurelium Cottam academicum anno fere LXXVII fuisse fingit. Velleius deos esse negat; cuius argumenta mox ab Aurelio Cotta confutantur (l. I). Tum (l. II) Balbus ea explicat quae stoici de deo eiusque providentia sentiunt. Cui C. Cotta ita respondet ut pleraque eius argumenta confutet (l. III). Nos vero, hos libros legentes, multa de antiquorum hominum opinionibus, quod ad deos attinet, discimus.

h) Etiam « *De divinatione* » libros II scripsit, in quibus Quintum fratrem secum ita disputantem inducit, ut divinationem ille defendat, ipse, Academicorum sententiam secutus, confutet. Quo in opere Cicero Posidoni illud *περὶ μαντικῆς* quodam modo est imitatus. Illud autem est memoria dignum, veteres Christianos multa cum ex hoc Ciceronis opere, tum e libris de *Natura deorum* hausisse adversus Gentiles, quam ob rem postea Diocletianum eos libros omnes una cum sacris Iudaeorum libris comburi iussisse.

i) Eodem anno « *Cato Maior seu de senectute* » liber scriptus est, in quo Cato senectutem ab hominibus vulgo accusantibus defendit. Quattuor autem ille se reperire causas fatetur cur senectus misera videatur: unam, quod avocet a rebus gerendis; alteram, quod corpus faciat infirmius; tertiam, quod privet omnibus fere voluptatibus; quartam quod haud procul absit a morte.<sup>1</sup>

Haec omnia disputatione tum gravi tum lepida, semper fere eleganti, ille quidem diluit atque confutat.

l) Neque minus est laude dignus dialogus ille qui *Laelius de amicitia* inscriptus est, in quo C. Laelius cum

1. Cfr. V. 15.

C. Fannio et Q. Mucio Scaevola augure de amicitia ita disserit, ut homines hortetur, ut eam omnibus rebus humanis anteponant (« nihil est enim tam naturae aptum, tam conveniens ad res secundas vel adversas »)<sup>1</sup> et illud in primis defendat, « nisi in bonis amicitiam esse non posse ».<sup>2</sup> Tum amicitiae originem explicat eaque praecipit, quae ad eam servandam sint apta; deinde amicitiae fines qui sint docet; postremo amicitiam sapientium ostendit ac laudat.

m) Maioris quidem momenti tres illi libri sunt *de officiis*, quos ille ad Marcum filium, tum Athenis audientem Cratippum Peripateticum, misit, Stoicum Panaetium magna ex parte secutus. « Quam » vero Panaetius « triplicem putavit esse rationem, in quinque partes » Cicero distribuit.<sup>3</sup> Nam liber I « de honesto sed dupliciter,<sup>4</sup> tum pari oratione de utili (l. II), post », id quod Panaetium praetermisisse queritur, « de comparatione eorum » disserit (l. III).

Hoc opus, cum multa de moribus praeclara et eximia praecipiat virtutesque veras commendat, et Gentiles et veteres Christiani laudibus sustulerunt; quin etiam Ambrosius quodam modo imitatus est atque secutus in opere quod « De officiis ministrorum » inscripsit.

Haec fere maxima sunt Ciceronis opera quae ad philosophiam pertinent. Alia vero constat eum scripsisse, quae vel perierunt vel parva ex parte exstant: in quibus « de fato », cuius multa desiderantur; « Hortensius », quo exhortatio ad philosophiam continebatur; « De gloria » libri duo; « de virtutibus »; « de auguriis »; « de iure civili in artem redigendo ».

Adde Platonis « Timaeum » et Xenophontis « Oeconomicum » Latine conversos. Plurima igitur Cicero de philosophia scripsit. Neque vero magnus ut philosophus exstitit. Ille enim pauca ex fonte suo prompsit, omnia fere o Graecis philosophis hausit. Quodsi quaeras quo se duce, quo Lare tutatus sit, Novae quam appellant Academiae praecep-

1. Cfr. V. 17.

2. Cfr. V. 18.

3. Cfr. I, 3, 10.

4. Nam « honestumne factu sit an turpe dubitant id quod in deliberationem cadit ». (I, 3, 9).

tis addictus est. Itaque minus ille vera quaesivit, quam veris propiora, et ex omnibus disciplinis quodcumque eum maxime specie moverat veritatis libavit.

Nunc restat ut pauca dicam de *epistulis*. Ac primum omnium illud est animadvertendum, Ciceronis animum ac fere vitam in epistulis penitus perspici posse, id quod in ceteris operibus, cum multis artis ornamentis ac fere fuco illita sint, haud saepe evenit. Satis enim inter omnes constat, Ciceronem epistulas non eo consilio scripsisse, ut in hominum vulgus ederet, sed ut res uni vel alteri sine ullo ornamento ac libere narraret, animumque suum aperiret. Cum autem multae ac magnae res illa tempestate varie evenerint iisque fere omnibus ille interfuerit, quid mirum si huiusmodi epistulae maxima sunt litterarum monumenta, quae, qui velit illius aetatis res et homines cognoscere, nulla ratione ignorare possit?

Ciceronis epistularum omnino XXXVII libri exstant, ex quibus XVI «ad familiares»; in his res vel narrantur vel significantur ab anno LXII ad a. XLIII; tum «ad Atticum» libri XVI (ab a. LXVIII ad a. XLIV); deinde «ad Quintum fratrem» libri tres (ab a. LX ad a. LIV); libri denique duo «ad M. Brutum»: hae vero epistulae neque omnes a Cicerone videntur scriptae esse, et de iis agunt, quae post Caesarem interfectum evenerunt. Adde quod alias profecto epistulas ille scripsit, ut ad Pompeium (libros IV fortasse), ut ad Caesarem (libros III) quae perierunt.

Ciceronis *poemata* cum omnia perierint<sup>1</sup> neque valde laudanda fuerint, satis est perpaucis tangere vel tantum nominibus recensere. Haec igitur ab illo composita fuerunt:

- a) *de suo consulatu* libri tres;
- b) *Marius*, de Mario illo qui et ipse, ut satis constat, Arpinas fuit;
- c) *De temporibus meis* libri tres;
- d) *Epos ad Caesarem* de iis rebus, quas Caesar in Britannia praeclare gessit;
- e) *Pratum* de fabulis scaenicis;

1. Nonnullae reliquae in ipsius operibus manent.

f) *Nilus*, quo Nili descriptio, ut videtur, continebatur.

g) Adde eum Arati Διοσημεϊα et Φαινόμενα Latinis versibus convertisse.

Haec priore suae vitae parte videtur fere omnia composuisse.

### C. Iulius Caesar.

Natus est Romae anno C idibus Quint. summo loco: eius enim gens ab Iulio, Aeneae filio, se ortam esse gloriabatur. Eius mater, Aurelia, a rege Anco Marcio originem ducere dicebatur. Ipse enim, ut Suetonius<sup>1</sup> testatur, cum quaestor Iuliam amitam defunctam laudaret pro rostris, haec retulit: « Amitae meae Iuliae maternum genus ab regibus ortum, paternum cum diis immortalibus coniunctum est. Nam ab Anco Marcio sunt Marci Reges, quo nomine fuit mater; a Venere Iulii, cuius gentis familia est nostra. Est ergo in genere et sanctitas regum, qui plurimum inter omnes pollent, et caerimonia deorum, quorum ipsi in potestate sunt reges ».

Huius praestantissimi viri, qui et acie mentis et gloria militari et civili prudentia omnes fere omnium gentium summos viros superavit, si vitam hic enarrem, multum temporis mihi adsumam; adde quod eius nomine, virtute, rebus gestis refertae sunt civiles antiquae aetatis historiae. Itaque maxima quaeque perpauca memorabo.

Anno igitur LXXII Corneliam, Cinnae filiam, Sullam dictatorem minime veritus, uxorem duxit. Cum autem Sulla frustra eum iussisset uxorem dimittere, ad fugam coactus, in montibus Sabinis aliquamdiu latuit, « donec per virgines Vestales perque Mamercum Aemilium et Aurelium Cottam, propinquos et adfines suos, veniam impetravit. Satis constat Sullam, cum deprecantibus amicissimis et ornatissimis viris aliquamdiu denegasset atque illi pertinaciter contenderent, expugnatum tandem proclamasse sive divinitus sive aliqua coniectura: vincerent ac sibi haberent, dummodo scirent eum, quem incolumem tanto opere cuperent, quandoque optimatum partibus,

1. Caes. VI.

quas secum simul defendissent, exitio futurum: nam Caesari multos Marios inesse ». <sup>1</sup> Tum Roma profectus, in Asiam se contulit, ibique, cum bello interesset, coronam civicam anno LXXX adoptus est. Paulo post (a. LXXVIII), audita Sullae morte, cum Romam relisset, Cn. Dolabellam, qui proconsul Macedoniam avarissime rexerat, tribus orationibus *de repetundis* accusavit; quibus quamquam non effecit ut reus damnaretur, tamen se optimum praebuit oratorem. Tum Rhodum secessit « ut per otium ac requiem Apollonio Moloni, clarissimo tunc dicendi magistro, operam daret. Huc dum hibernis iam mensibus traicit, circa Pharmacussam insulam a praedonibus captus est, mansitque apud eos non sine summa indignatione prope quadraginta dies cum uno medico et cubiculariis duobus. Nam comites servosque ceteros initio statim ad expediendas pecunias quibus redimeretur dimiserat. Numeratis deinde quinquaginta talentis expositus in litore, non distulit quin e vestigio, classe deducta, persequeretur abeuntes, ac redactos in potestatem supplicio, quod saepe illis minatus inter iocum fuerat, adficeret ». <sup>2</sup>

Deinde cum Romam revertisset, cursum honorum iniit. Nam LXVIII anno quaestor Hispaniam Ulteriorem petivit; anno LXV aedilis curulis ludos sumptuosissimos edidit, quo magis popularium animos sibi conciliaret, et ingentem pecuniam effudit. Anno insequenti Catilinae consulatum petenti adversus Ciceronem favit; deinde Cicerone consule per Servilium Rullum leges quasdam agrarias adversus optimatum voluntatem frustra patribus suasit, idemque disputantibus patribus num Catilinae coniurati, qui Romae capti in vinculis erant, morte multandi essent, eos necandos non esse defendit; cuius orationem postea Sallustius suis sane verbis in suum *de coniuratione Catilinae* librum inclusit, mira quadam prudentia et calliditate insignem. Quin etiam fuerunt qui Caesarem coniurationi non solum superiori (a. LXV), sed etiam huic quae anno LXIII rem publicam totam paene permutavit, interfuisse suspicarentur. Eodem anno pontifex maximus quoad vi-

1. Snot. Caes. I.

2. Snot. Caes. IV.

veret creatus est; tum praetor, deinde (a. LXI) cum Hispaniam pro praetore obtineret, tantas sibi divitias comparavit, ut, Romam regressus, ingens illud aes alienum, quod contraxerat, dissolvere potuerit.

At anno LX triunviratum illum cum Pompeio et Crasso iniit; quo nisus anno insequenti consul cum legem agrariam tulisset, Pompei veteranis aptam, popularium in se studia auxit. Tum ab anno LVIII ad a. L proconsul illud Galliae imperium obtinuit, quo gloriam immortalem sibi comparavit. Ceterum huic tantae gloriae Pompeius, ut inter omnes constat, invidit. Qui cum Iuliam uxorem, Caesaris filiam, acerba morte raptam, extremum inter principes concordiae vinculum, amisisset et magis in dies Senatus adversus Caesarem faveret, Senatum eo impulit, ut iuberet, ut Caesar ex quatuor legionibus dimitteret duas. Haec parva favilla fuit ingentis incendi. Caesar enim, cum videret non eadem Pompeio imponi et leges in se tantum ferri, Rubiconem flumen, qui provinciae eius finis erat, exercitum traiecit itaque bellum illud civile aggressus est, quo tot victorias et principatum ac fere dominatum est adeptus. Nam Pompeium ad Pharsalum (a. XLVIII), pompeianos ad Thapsum (a. XLVI), deinde apud Mundam devicit.

« Conversus hinc ad ordinandum rei publicae statum »,<sup>1</sup> multa aut vetera correxit aut nova instituit.<sup>2</sup> « De ornanda instruendaque urbe item de tuendo ampliandoque imperio plura ac maiora in dies destinabat...; ius civile ad certum modum redigere atque ex immensa diffusaque legum copia optima quaeque et necessaria in paucissimos conferre libros; bibliothecas Graecas Latinasque, quas maximas posset publicare data Marco Varroni cura comparandarum ac digorendarum; siccare Pomptinas paludes; emittere Fucinum lacum; viam munire a Mari Supero per Appennini dorsum ad Tiberim usque; perfodere Isthmum; Dacos, qui se in Pontum et Thraciam effuderant coercere; mox Parthis inferre bellum per Armeniam minorem nec nisi ante expertos adgredi proelio. Talia agentem et meditantem mors praevenit ». <sup>3</sup> Quis enim ignorat eum anno

1. Suet. Caes. 40.

2. Cfr. Suet. Caes. 40-43.

3. Suet. Caes. 44.

XLIV Id. Mart. in Curia ad pedes Pompei statuæ per coniuuratos cecidisse? « Atque ita — inquit Suetonius<sup>1</sup> — tribus et viginti plagis confossus est, uno modo ad primum ictum gemitu sine voce edito, etsi tradiderunt quidam Marco Bruto irruenti dixisse: Καὶ τὸ τέχνον; ».

Hactenus de vita. Maxima eius præclarissimi ingeni opera duo exstant integra, COMMENTARII DE BELLO GAL-LICO et DE BELLO CIVILI LIBRI TRES. Quorum prius septem libros complectitur, in quos ea, quæ singulis annis gessit, distributa vides. Itaque *libro primo* duo bella prospere gesta, cum Helvetiis, deinde cum Ariovisto Suebisque, narrantur; *secundo* Belgarum coniuratio bellumque inde ortum, cui victoria illa apud oppidum, cui Bibrax nomen fuit, finem imposuit; tum aliarum gentium deditio, tum multæ Aremoricæ civitates subactæ.<sup>2</sup> *Tertius liber* alia bella complectitur inter Alpes et cum Venetis Venellisque, deinde in Aquitania, cuius pars maxima ad deditioem venit; tum Caesaris ipsius expeditionem in Morinos Menapiosque, quæ adversis tempestatibus tardatur. Res maiores *liber quartus* continet; nam et de bello est cum Germanis (quos Caesar non solum trans Rhenum repulit, sed etiam, cum id flumen ponte facto transisset, in eorum finibus terruit)<sup>3</sup> et de priore illa in Britanniam expeditione (qua etiam Britannis metum iniecit).<sup>4</sup> In *libro quinto* alteram expeditionem in Britanniam scriptam legimus; quomodo fretum Caesar transvectus sit Britannosque in fugam compulerit; regionis quæ natura, quod cælum, qui incolæ, eorumque mores; tum quo consilio flumen Tamesim transierit quæque gesserit antequam Cas-

1. Suet. Caes. 82.

2. Cfr. De Bello Gall. II, 35: « his rebus gestis omni Gallia pacata, tanta huius belli ad barbaros opinio perlata est, uti ab iis nationibus, quæ trans Rhenum incolerent, mitterentur legati ad Caesarem, qui se obsides duros, imperata facturos pollicerentur... Ob easque res ex litteris Caesaris in dies quindecim supplicatio decreta est, quod ante id tempus accidit nulli ».

3. Cfr. de B. G. IV, 19: « ... omnibus rebus iis confectis, quarum rerum causa traducere exercitum constituerat, ut Germanis metum inieceret, ut Sugambros ulcisceretur, ut Ubios obsidione liberaret, diebus omnino decem et octo trans Rhenum consumptis, satis et ad laudem et ad utilitatem profectum arbitratus, se in Galliam recepit pontemque rescidit ».

4. Cfr. de b. g. IV, 38: « His rebus gestis ex litteris Caesaris dierum viginti supplicatio a senatu decreta est ».



sivellaunus, Britannorum dux, multis « *detrimentis acceptis*, vastatis finibus, maxime etiam permotus defectione civitatum, legatos per Atrebatem Cominium de deditioe ad Caesarem » mitteret. Haec longum sequitur bellum cum Ambiorige, quod vario Marte gestum est variisque Gallorum motibus atque tumultibus causam praebuit; quae omnia Caesar sub finem anni illius sedavit.

In *libro sexto* cum alias Gallorum seditiones ac deditiones, tum Germaniam iterum a Caesare petitam videmus. Nam Suebos aggressus in fugam convertit. Postquam vero « ad hunc locum perventum est, non alienum esse (*ipsi*) videtur de Galliae Germaniaeque moribus et quo differant hae nationes inter sese proponere ». (de. b. g. VI, 11).

Quae cum quattuordecim capitibus explicet atque describat, dignus est hic locus qui totus attente legatur. Hunc brevis eademque nobilis illa sequitur Hyrcinae silvae descriptio beluarumque quae eam incolunt. Deinde Caesar in Galliam regressus Ambiorigem illum, quem supra diximus, opprimit Eburonumque fines vastat. Tum Sugambros, Romanorum ac Q. Ciceronis castra ex improvise aggressos et iam fere a militibus repulsos, suo adventu trans Rhenum redire cogit.

*Liber septimus* idemque ultimus, cum res magnas magnique momenti complectatur, omnium unus maximus est ac memoria dignissimus. Nam Gallia, iis auditis tumultibus qui Romae evenerant, anno LII tota ad arma consurgit novumque immane bellum in Caesarem orditur, cui bello Vercingetorix, Arvernorum rex, « summae potentiae adulescens », audacissime obsinatissimoque animo praefuit. Statim Caesar maxima illa sua celeritate usus, monte Cevenna, qui « durissimo tempore anni altissima nive iter impediabat » superato, Arvernos inopinantes oppressit; deinde Cenabum,<sup>1</sup> Carnutum oppidum, captum « diripit atque incendit, praedam militibus donat, exercitum Ligerem traducit ». Tum Noviodunum<sup>2</sup> capit, quod oppidum Vercingetorix ipse defendere conatus erat. Ne-

1. Nunc Orleans.

2. Soissons.

que multo post Avaricum,<sup>1</sup> Biturigum munitissimum oppidum, summa vi diu oppugnatum defensoribus tandem spoliavit: quin etiam eo in tempore ita saevitum est, ut milites Romani, capta urbe, « non aetate confectis, non mulieribus, non infantibus » pepercerint. « Denique ex omni numero, qui fuit circiter milium XL vix DCCC, qui primo clamore audito se ex oppido eiecerunt, incolumes ad Vercingetorigem pervenerunt ».<sup>2</sup> Deinde Caesar, « Avarici complures dies commoratus summamque ibi copiam frumenti et reliqui commeatus nactus », <sup>3</sup> exercitu ex labore atque inopia refeito, « quattuor legiones in Senones Parisiosque Labieno duendas dedit, sex ipse in Arvernos ad oppidum Gergoviam secundum flumen Elaver duxit ».<sup>4</sup> Ad Gergoviam tamen res Romanis haud prospere evenit. Quod totius Galliae animos magis magisque ad rebellandum impulit. Caesar cum etiam Aedui, qui iam diu Romanorum amicos se praebebant, arma cepissent, ipse autem « abiuncto Labieno atque iis legionibus quas una miserat valde *timeret*, contra omnium opinionem ad Ligere rem venit vadoque per equites invento... incolumem exercitum traduxit frumentumque in agris et pecoris copiam nactus... iter in Senones facere instituit ».<sup>5</sup> Ad quem Labienus, cum hostibus eorumque duce Camulogeno apud Metiosedum proelio facto, cum omnibus copiis Agendicum pervenit. Tum, magis in dies tota Gallia tumescente bello, Caesari visum est subsidium Provinciae ferre. Cum igitur « in Sequanos per extremos Lingonum fines » iter faceret, illum Vercingetorix ut intercluderet via per equites agressus est. Sed victus Alesiam confugit, quam urbem, dum ex tota Gallia auxilia expectat, omnibus viribus defendere contendit. Maxima circa oppidum utrimque contentio maiorque in dies fuit, praesertim cum e tota fere Gallia ingentia auxilia ad Vergingetorigem undique venirent, quae cum « non longius mille passibus » a Romanorum munitio nibus consedissent, obsidentem Caesarem obsidione clau-

---

1. Bourges.

2. Cfr. de b. g. VII, 28.

3. VII, 32.

4. VII, 34, *Elaver* autem in Ligere m influit, nunc *Allier*.

5. VII, 56.

serunt. Hoc tamen Caesar, qua ingeni acie fuit, iam providerat ideoque suos duplici vallo muniverat, quorum alterum adversus eos quos ipse obsidebat, alterum adversus eos erat, qui obsidebant ipsum. Itaque, postquam Vercingetorix « se ad eruptionem atque omnes casus » comparavit, Caesar, equitatu ex castris educto et proelio commisso, « cum a meridie prope ad solis occasum dubia victoria pugnaretur », quos Germanos secum habebat « una in parte confertis turmis », in hostes tanto impetu immisit, ut eos in fugam coniceret. Neque vero mox debellatum est. Tandem, postquam vario Marte utrimque haud semel pugnatum est, Vercingetorix se urbemque dedit. Quo facto tota Gallia statim pacata est.

« His rebus ex litteris Caesaris cognitae Romae dierum XX supplicatio redditur ». Haec postrema sunt septimi libri verba.

Commentarios de bello Gallico Caesar anno vel LI vel L edidit, idcirco autem commentarios inscripsit, ut iis nixus rerum aliquis scriptor veras historias, id est *opus aliquod maxime oratorium*, componeret. Hos vero optime Cicero in Bruto (LXV, 262) iudicavit, cum ipsum Brutum sic induxerit loquentem: « ... legi ... etiam commentarios, quos idem scripsit rerum suarum. Valde quidem, inquam, probandos; nudi enim sunt, recti et venusti, omni orationis tamquam veste detracta. Sed dum voluit alios habere parata, unde sumerent qui vellent scribere historiam, ineptis gratum fortasse fecit, qui volent illa calami-  
stris inurere: sanos quidem homines a scribendo deteruit ».

Illud tamen est animadvertendum, Ciceronem ita non solum de *bello Gallico*, sed etiam de *bello civili* commentarios iudicasse. Quos nunc paucis nos quidem explicemus. Res duorum annorum — XLIX et XLVIII — complectuntur, cum ab initio belli ad initia belli Alexandrini<sup>1</sup> pergant.

In *Libro primo* Caesar postquam senatus iniquum animum et consulta adversa sibi, Pompeio secunda, expo-

1. Tertius liber his verbis finitur: « Haec initia belli Alexandrini fuerunt ». Quod bellum postea Anlus Hirtius narravit, idem qui commentariis de B. G. librum VIII adiecit.

suit suosque conatus ut pax servaretur aperuit, quod belli principium fuerit quaeque res mox in Italia, Africa, Gallia gestae sint celeri illo suo orationis genere narrat. Deinde bellum in Hispania cum Afranio et Petreio, Pompei legatis, prospere gestum ostendit. *Libri secundi* argumentum est aliquanto brevius: oppugnatio et deditio Massiliae priore parte continetur, tum Hispania subacta; altera pars est de rebus Curionis in Africa primo prospere gestis, deinde de ipsius morte. At *libro tertio* multa continentur: nam quibus impedimentis et insidiis et inopia superatis Caesar Epiro potitus sit in illo agitur, et res ad Dyrrhachium haud semper prospere gestae exponuntur, et qua ratione ac via ad pugnam Pharsalicam ventum sit, quidque post ipsam pugnam evenerit ostenditur; postremo ad initia belli Alexandrini narratio pergit.

Scriptoris artem iam Ciceronis verbis laudavi. Quid de ipsius historiae fide? Fuerunt qui commentarios, eos praesertim de bello civili, cum viderent scriptos esse ut scriptorem ab inimicorum criminibus defenderent, a rerum veritate saepe errare iudicarent, Caesaremque falsitatis ac mendaci insimularent; in quibus maxime Asinius Pollio acrior sane iudex ac fere malevolus videtur fuisse. Nam Suetonius haec memorat: « Pollio Asinius parum diligenter parumque integra veritate compositos (commentarios) putat, cum Caesar pleraque et quae per alios erant gesta temere crediderit et quae per se vel consulto vel etiam memoria lapsus perperam ediderit; existimatque rescripturum et correcturum fuisse ».<sup>1</sup> Nostris vero temporibus plerique eorum qui intellegunt Caesarem hoc de crimine purgare student atque illud defendunt, eum aut numquam aut perraro a veritate rerum deerravisse, atque in eorum scriptorum numero esse, qui vera aut nullis aut perpauca falsis permiscuerint. Neque tamen aliqua negligentiae vel erroris vestigia desunt: quin etiam nonnulla sunt, quae in maius elata veritatem excedere videantur, ut in libro IV de bello Gallico locus ille (a cap. XI ad cap. XV) de ingenti Usipetum et Tencterorum numero quos ille fluminis Rheni fluctibus obrutos perisse narrat.

1. Caes. 56, 4.

Quodsi Commentarios de bello Gallico cum libris de bello civili compares, verisimile est in priore illo opere Caesarem veritati magis obsecutum esse.

Neque vero commentarios tantum scripsit, sed etiam, ut Suetonius<sup>1</sup> auctor est, « et *de analogia* duos libros et *Anticatones* totidem, ac praeterea poema quod inscribitur *Iter*. Quorum librorum primos in transitu Alpium, cum ex citeriore Gallia, conventibus peractis, ad exercitum rediret, sequentes sub tempus Mundensis proelii fecit; novissimum, dum ab Urbe in Hispaniam ulteriorem quarto et vicensimo die pervenit ».

Haec, quae postea perierunt, Suetonius ad suam aetatem pervenisse ostendit.<sup>2</sup> Alia iam tum perierant. Nam idem « Feruntur — inquit — et... ab adolescentulo quaedam scripta, ut *Laudes Herculis*, tragoedia *Oedipus*, item *Dicta collectanea*: quos omnis libellos vetuit Augustus publicari in epistula, quam brevem admodum ac simplicem ad Pompeium Macrum, cui ordinandas bibliothecas delegaverat, misit ».<sup>3</sup>

### Cornelius Nepos.

In regione transpadana, inter Insubres (sunt qui putent Ticini), anno fere C natus, Romae ab anno fere LX ad a. XXX, quo videtur vita decessisse, ita vixit, ut T. Pomponio Attico et Cicerone et Catullo familiariter uteretur, a re publica vero procul abesset pluraque opera scriberet. Ex quibus *tres illi* « *Chronicon* » libri perierunt, qui tamquam rerum omnium et Romanarum et Graecarum breve videntur compendium fuisse; nam Catullus (carm. I) ita eum nimia fortasse cum laude, alloquitur « ...ausus es unus Italorum — omne aevum tribus explicare chartis — doctis, Iuppiter, et laboriosis! ».

Alia opera haud magni momenti ut omittam, quae et ipsa perierunt, ut « *Exempla* »<sup>4</sup> et « *Amatoria* » quaedam carmina, illos *de viris illustribus libros XVI* memorabo,

1. Caes. LVI, 5.

2. Nam « reliquit-inquit-et de Analogia duos l... » etc.

3. Ibid. 6.

4. Res et facta quae perpauca scirent continebant, descriptionesque locorum, quae pauci adissent.

praesertim cum huius tantum operis pars aliqua exstet. Hoc opus, quod Varronis « Imaginibus » quodammodo simile videtur fuisse, in octo partes divisum fuit. Nam de regibus, de ducibus, de poetis, de oratoribus, de historicis, de philosophis, de iuris peritis, de iis denique, qui theatri et doctrinae operam dederant, ita Nepotem agisse constat, ut singulae partes binos libros complecterentur, ex quibus alter Romanorum alter exterarum gentium clarissimorum virorum vitas explicaret. Ad nos vero liber tantum « de excellentibus ducibus exterarum gentium » porvenit; tum, ex libro de historicis Latinis, Catonis Maioris et T. Pomponi Attici vitae, quarum prior perbrevis est. Haec omnia haud magni preti sunt. Neque vero magnum se Cornelius Nepos scriptorem praebet, cum neque rerum veritatem satis curet neque causas easque res quae secuntur conectere minime studeat, sed facta tantum et dicta singulorum hominum nullo vel exiguo iudicio ita colligat, ut numquam fere<sup>1</sup> cum historia coniungat. Ceterum ipse fatetur se « vitas », non « historiam » scribere velle.<sup>1</sup> Eius genus dicendi, cum simplex et plerumque clarum sit, quamvis Ciceronis Caesarisque virtutes numquam attingat, laudari potest. Quodsi quaesiveris quid Cornelius Nepos sibi proposuerit, satis constat eum ut hominum animos institueret et ad virtutem impelleret has vitas scripsisse.

### C. Sallustius Crispus.

Amitorni in Sabinis natus est, anno LXXXVI a. Ch. n. familia plebeia. Cum Romam venisset, ad rem publicam accessit Caesarique favit, Pompeio ac Ciceroni (cuius Terentiam uxorem post divortium sibi matrimonio coniunxit) adversatus est. Anno LII, quo Clodius, ut supra diximus, est interfectus, populi odia adversus Milonem magis magisque incendit. Duobus annis post Ap. Claudius Pulcher censor, seu pravus illius moribus motus, seu quod, partes Pompeianas amplexus, Caesaris amicos oderat, eum ex senatu eiecit. Deinde bello civili exorto Sallustius, ut

1. Cfr. Pelop. I: « ... vereor... ne non vitam eius enarrare, sed historiam videar scribere ».

multi, in castra Caesaris se contulit. A quo « iterum quaestura ornatus et in Senatum lectus, mox parti copiarum praefectus, in Illyrico cum Octavio et Libone, Pompei ducibus, proelio commisso, rem male gessit ». <sup>1</sup> Multa deinde alia in re publica ei « adversa fuere » ut ipse fatetur. (Cat. 3). Tamen Caesar, victis rege Iuba et Pompeianis in Africa, Sallustium proconsulem Numidiae, in provinciae formam redactae, praefecit. Quam provinciam ita videtur administrasse, ut ingentes sibi divitias comparaverit. Dio quidem Cassius <sup>2</sup> auctor est eum et provinciam fere vastavisse et, cum in urbem redisset, repetundarum accusatum, sed Caesaris iussu absolutum esse. Ceterum satis inter omnes constat Sallustium tantas divitias acquisivisse, ut hortos maxime sumptuosos in colle Quirinali et Caesaris villam Tiburtinam emeret. Post Caesaris caedem « reliquam aetatem a re publica procul » in bonarum artium studio ac praesertim in historia scribenda consumpsit. Mortuus est anno **XXXV** a. Ch. n.

Sallusti duo opera exstant: **DE CONIURATIONE CATILINAE** et **BELLUM JUGURTHINUM**. Tertium opus **HISTORIARUM** libri quinque, qui res gestas ab anno **LXXVIII** ad a. **LXVII** complectebantur, quibusque L. Corneli Sisen-nae opus ille continuavit, fere toti perierunt. <sup>3</sup>

Librum *de coniuratione Catilinae* anno fere **XLIII** idcirco videtur composuisse, ut mortuum Caesarem a crimine liberaret, quo ille tamquam coniurationis particeps insimulatus esset. <sup>4</sup> Ceterum Sallustius hoc in libro res ita narrat, ut verbis numquam a veritate se discedere velle profiteatur, re ipsa vera falsis callidissime permisceat, hominesque, non ut fuerunt inducat, sed saepe detorqueat, quo facilius id quod petit consequatur. Itaque Caesaris, Catonis, Catilinae ipsius mores, ingenia, vires quodammodo auget, Ciceronem deprimit atque minuit. Est etiam ubi temporum ordinem parum servet.

1. Gerlach Praef. in Sallustium, Lipsiae MDCCCLVI.

2. XLIII, 9.

3. Paucae reliquiae manent praeter quattuor orationes et duas epistulas.

4. Plutarchus quidam tradit Caesarem Ciceronis libello, qui post scriptoris mortem editus sit, insimulatum esse.

*Bellum Iugurthinum* haud dissimili animo scripsit, ut optimatum mores deprehenderet, plebis vero homines extolleret; tamen, cum res ipsae scriptoris opinionem studiumque partium comprobare viderentur, minus eas ille detorsit. Itaque, ut C. Marium, popularium ducem, laudibus extolleret, cum eo in bello multas res ac magnas gessisset, non opus fuit a veritate discedere. Itemque, cum optimates auro Iugurthae complures corrupti essent, haud aegre Sallustius materiam atque occasionem invenit criminandi optimatum partes, plebem ac popularium duces laudandi. Neque tamen suum illud partium studium eo provexit, ut L. Corneli Sullae adolescentis forte facinus silentio praetermitteret aut minueret. Quod et ipsum illius calliditatis est indicium qua supra diximus eum vera falsis miscuisse.

Ille tamen se veritatis amantissimum professus est sibi que « a spe, metu, partibus rei publicae animum liberum esse » (Cat. IV). Neque aliter scribere potuit, cum Thucydidem potissimum imitandum sibi proposuerit. Quod non solum ex eo colligas licet, quod genus orationis, ut ille, pressum atque antiquioribus verbis distinctum adhibet, sed etiam crebras sententias de moribus, de ingeniis hominum, de gloria, de rerum publicarum vicibus, cum saepe, tum brevibus in illis proemiis cumulat, quae utriusque operi praefatus est. Ille vero civitates paucorum ingeniis ac viribus, non omnium fere civium meritis, augeri solere censet; in quo longe aliter ac Cato ille maior sensit.

Sallustium Tacitus « rerum Romanarum florentissimum auctorem » appellat (Ann. III, 30), Martialis (XIV, 191) primum Romana in historia censuit; tum Seneca ille rhetor per Arellium Fuscum (Contr. IX, 24), quadam Thucydidis sententia relata, sic iudicat: « Cum sit praecipua in Thucydide virtus brevitatis, haec eum Sallustius vicit et in suis illum castris cecidit ». Idem T. Livium iniquum Sallustio fuisse memorat.

Nostra vero aetate ii qui intellegunt omnes eum optimum scriptorem iudicant; vitam tamen eius orationi parum congruentem fuisse.



### Marcus Terentius Varro Reatinus.<sup>(1)</sup>

Hunc summorum huius aetatis scriptorum postremum idcirco posuimus, quia multa unus litterarum genera tractavit, adeo ut a Cicerone polygraphotatos<sup>2</sup> sit appellatus atque his verbis ac laudibus compellatus:<sup>3</sup> « Nos in nostra urbe peregrinantes errantesque tamquam hospites tui libri quasi domum reduxerunt, ut possemus aliquando qui et ubi essemus agnoscere. Tu aetatem patriae, tu descriptiones temporum, tu sacrorum iura, tu sacerdotum; tu domesticam, tu bellicam disciplinam; tu sedem regionum, locorum, tu omnium divinarum humanarumque rerum nomina, genera, officia, causas aperuisti, plurimumque poetis nostris omninoque Latinis et litteris luminis attulisti et verbis: atque ipse varium et elegans omni fere numero poema fecisti philosophiamque multis locis inchoasti ».

Haec Ciceronis verba quo planius intellegas, Varronis opera paucis recensere est opus. Ex quibus unum integrum manet, quod primum memorabimus, RERUM RUSTICARUM libri tres, quos ille octoginta iam annos natus ad Fundaniam uxorem alios nuper agros mercatam rogatus misit. Cuius operis primo libro de agri cultura, altero de colendo pecore, tertio de pabulis alternis sermonibus ita agit, ut res cum ex usu ipse suo, tum ex Xenophontis Oeconomico, ex Catonis libro de Agricultura, ex Magone Carthaginiensi aliisque hausisse videatur.

DE LINGUA LATINA libros XXV scripsit; ad nos vero VI tantum pervenerunt<sup>4</sup> (V-XI), in quibus nominum originem temere ille quidem ita explicat, ut saepe risum vix teneamus (e. g.: « SOL, quod SOLUS lucet »; « TERRA, quod pedibus TERITUR »; VER, quod tunc VIRERE incipiant vir-

1. Elus vitae maxima quaeque hic colligam, cum elus opera pleraque eiusmodi sint, ut parum aut nihil ex ipsius vita pendeant. Roate in Sabina nobili loco ortus ac praediviti a. CXVI a. Ch. n., maximam vitae suae partem ac plurimum temporis litterarum studiis consumpsit. Neque vero a re publica semper avertit; nam plures honores adeptus, in bello civili Pompei partes primo secutus, deinde Caesari victus se dedidit, quo postea familiariter usus est. Neque multo post ab Antonio triumviro in tabulas proscriptionis inclusus, caedem tamen effugit neque ante annum XXVII vita decessit.

2. Ad Att. XIII, 18.

3. Acad. I, 3, 9.

gulta »); tum de flexione ita agit, ut mediam viam inter *analogiam* et *anomaliam* sequatur.

Multos libros de historia vel ad historiam pertinentes satis constat eum scripsisse; in quibus, ut praecipuos memorem, ANTIQUITATUM libri XLI fuerunt, quorum XXV Rerum humanarum, XVI Rerum divinarum fuisse accipimus; tum HEBDOMADUM SIVE IMAGINUM libri XV, quibus illustrium virorum Graecorum Romanorumque vitae septenae continebantur; deinde DE VITA POPULI ROMANI libri IV et DE GENTE POPULI ROMANI item libri IV; tum ANNALES; tum RERUM URBANARUM libri III.

Adde DISCIPLINARUM libros IX,<sup>1</sup> quibus de omnibus fere artibus et disciplinis agebat; deinde LOGISTORICON libros LXXV, qui de multis variisque rebus egisse videntur ad philosophiam pertinentibus ita ut sententiae factis illustrarentur.<sup>1</sup>

Multa alia opera<sup>2</sup> praetermitto soluta oratione scripta. De poematis vero SATURARUM MENIPPEARUM libros CL omittere qui possum? De quibus Cicero ita ipsum Varro- nem loquentem inducit: « In illis veteribus nostris quae Menippum imitati, non interpretati, quadam hilaritate conspersimus, multa admixta ex intima philosophia, multa dicta sunt dialectice ».<sup>3</sup>

Has saturas, partim versibus, partim prosa oratione scriptas, multis variisque de rebus fuisse constat; nam modo varias illas philosophorum familias irridebant, modo viros in re publica insignes, modo mores pravos corrigebant; itaque TRICARANOS adversus Caesarem, Crassum, Pompeiumque triumviros; SEXAGENS, in qua ille quidem puerum decem annorum, somno captum, non ante sexagesimum aetatis annum experrectum esse finxit, adversus rerum novitates moresque corruptos videtur fuisse.

Haec Varronis opera praecipua fuerunt, plurima sane ac maxime varia. Neque tamen maximum scriptorem eum fuisse dixeris; dicas potius doctissimum atque eruditissimum doctrinaeque magis curiosum quam artis et elegantiae.

1. Hoc a quibusdam singulorum librorum inscriptionibus deduci posse videtur, in quibus; *Cato de liberis educandis*; *Marius de fortuna*; *Curio de decorum cultu*.

2. Ut *De comoediis Plautinis* ut *Quaestionum Plautinarum* libros.

3. Acad. 1. 2. 8.

## DE AETATE ILLA QUAM AB AUGUSTO APPELLANT

Hanc aetatem iam supra diximus ab anno XXXI a. Ch. n. ad annum XVII p. Ch. n. extendi, quo Caesar Octavianus Nolae de vita decessit. Hoc temporis spatio quae Caesar fecerit, quis ignorat? Rem publicam quidem quanta arte quibusque, ut ita dicam, gradibus totam in se unum contraxerit optima sua illa brevitae Tacitus ita memorat (Ann. I, 2): « Postquam, Bruto et Cassio caesis, nulla iam publica arma; Pompeius apud Siciliam oppressus; exutoque Lepido, interfecto Antonio, ne Iulianis quidem partibus nisi Caesar dux reliquus; posito triumviri nomine, consulem se ferens et ad tuendam plebem tribunicio iure contentum; ubi militem donis, populum annonae, cunctos dulcedine otii pellexit, insurgere paulatim, munia senatus, magistratum, legum in se trahere, nullo adversante, cum ferocissimi per acies aut proscriptione cecidissent; ceteri nobilium quanto quis servitio promptior, opibus et honoribus extollerentur ac, novis ex rebus aucti, tuta et praesentia quam vetera et periculosa mallent. Neque provinciae illum rerum statum abnuebant, suspecto senatus populi-que iuperio ob certamina potentium et avaritiam magistratum; invalido legum auxilio, quae vi, ambitu, postremo pecunia turbabantur ».

Quibus verbis Tacitus illud maxime explicat atque ostendit, qui fieri potuerit ut Romani, quibus ipsum nomen regni detestabile semper fuit, unius Octaviani potestatem haud aegre ferrent. Neque vero ex hoc Taciti loco Octaviani merita satis apparent. Non solum enim otium et pacem vel constituit vel sustentavit, sed etiam optimas leges tulit, multa aut nova instituit aut vetera in honorem reduxit, religionem ac sacra defensavit, morum corruptionem iustis poenis coercuit, studium virtutis atque honestatis proemiis excitavit. Haec quo facilius consequere-

tur, multos scriptores et poetas fovit ac fere socios in tanto opere perficiendo sibi assumpsit atque impulit ut optima quaeque magnis laudibus celebrarent, vitia vero vituperatione ac fere iurgiis insectarentur. Hac in re Maecenatem potissimum et Messalam Corvinum adiutores adhibuit; quin etiam ipse litteras attigit et nonnulla opera composuit.<sup>1</sup>

Quodsi in religione et moribus parum aut nihil eius conatus profecerunt, litterarum studiis ac maxime poeticae ille quidem incrementum dedit. Summi enim illa aetate poetae extiterunt Vergilius et Horatius; quos ingeni et artis praestantia non sine aliquo intervallo Tibullus, Propertius, Ovidius secuti sunt. At in historia primum obtinet locum T. Livius. Cetera litterarum genera, in quibus prosa oratio adhiberi solet, et in primis dicendi ars,<sup>2</sup> quippe quae civilem libertatem et fori certamina iam desideraret, paulatim languere coeperunt.

### Publius Vergilius Maro.

Hunc omnium poetarum Latinorum summum fuisse, quis ignorat? Cuius carmina numquam peribunt: eos animi sensus easque res cecinit, quae omnes omnium gentium animos omnibus aetatibus et moverunt et semper movebunt.

Qui natus est Andibus apud Mantuam, modesto loco (nam eius parentes agricolae fuerunt, haud inopes sane, sed parva quaedam praedia possidebant) anno LXX a. Ch. n. Id. Oct. Primos vitae annos ruri apud parentes degit, deinde Cremonae studiis litterarum operam dedit, unde, postquam togam virilem anno LV induit, Mediolanum ac deinceps Romam et Neapolim se contulit, quibus in urbibus, quamvis in elegantiorum hominum coetu versaretur, tamen suum illum animum simplicem, illum ruris

---

1. In quibus poema epicum, quod *Sicilia* inscriptum fuit, tum *Epigrammaton* librum et tragoediam de *Aiace* et *De vita sua* libros XIII et *Rescripta Bruto de Calone*. Ad nos vero ille tantum *index rerum gestarum* vel *Monumentum Ancyranum* (nam Ancyrae, in Galatia, unum exemplar inventum est) pervenit.

2. Vide tamen infra ubi de arte dicendi huius aetatis agimus.

atque otii amorem, quin etiam rudem quandam rusticitatem semper retinuit. Romae et Epidio rhetore (apud quem etiam Octavianum habuisse condiscipulum videtur) magistro et Sirone epicureo usus est, cuius ille studium in se convertit hospitioque laetatus est. Tum Lucreti poema eum lectitasse atque admirari coepisse verisimile est; tum poetarum coetum, qui ex Gallia Cisalpina convenerant, ut Valeri Catonis, Helvi Cinnae, Furi Bibaculi, frequentasse; tum Corneli Galli, Luci Vari, Ploti Tuccae amicitiam inisse. Anno fere XLV cum in suum oppidum revertisset, otio ac rure suo iterum gavisus est: unde haud multo post (a. XLII), cum Cremonensium Mantuanorumque agri inter veteranos, Octaviani iussu, dividerentur, eiusque praedia et ipsa publicata essent, Romam ille iterum petiit, ubi ab Octaviano ipso per Asinium Pollionem illud impetravit, ut ager sibi redderetur. Neque tamen anno post impedire potuit quominus a centurione quodam agro suo spoliaretur. Quin etiam, ut quibusdam videtur, necem vix effugit. Postquam vero Romam se contulit, Maecenate Horatioque faventibus alterum praedium maius atque amoenius apud Neapolim ab Octaviano accepit, ubi et locorum amoenitates laetissimo animo admiratus est et Parthenium Nicaeensem audivit. Neque vero Romam haud saepe se conferebat; sed modo Romae, modo Neapoli, amicis carus vitam degebat, cum anno XIX a. Ch. n. Graeciam petiit, quo diligentius ea loca investigaret, quae in Aeneide tetigerat, poemaque perficeret. Sed Athenis Augusto, ab Orientis solis partibus redeunti, obvius fuit; a quo rogatus, ut in Italiam reverteretur, facere non potuit quin eum comitaretur, praesertim cum haud bene valeret. Quae valetudo fortasse navis iactatione adeo aucta est, ut ille, cum Brundisium pervenisset, de vita decesserit a. d. X Kal. Oct. aetatis annum LI agens. Cuius cinis Neapolim delatus, in via quae Puteolos fert humatus fuit tumuloque eius hi versus inscripti:

Mantua me genuit, Calabri rapuere, tenet nunc  
Parthenope: cecini pascua, rura, duces.

Eius naturam cum corporis tum animi his verbis Donatus grammaticus tradidit: « corpore et statura fuit grandi,

aquilo colore, facie rusticana, varia valetudine... Ceterum sane vitae et ore et animo tam probum constat, ut Neapoli Parthenias vulgo appellatus sit ac, si quando Romae... inviseretur publico, sectantis demonstrantisque se suffugeret in proximum tectum ».

Cuius opera certissima BUCOLICON liber et GEORGICON libri IV et AENEIDOS libri XII summis laudibus semper apud omnes gentes celebrantur. Alia accedunt opuscula, quae incertum est an illi tribuenda sint. Haec omnia APPENDIX VERGILIANA,<sup>1</sup> quam appellant, complectitur. Hic vero de maioribus illis operibus ea dicemus quae maxime sint memoria digna. Atque in primis, cum primum temporis ordine sit opus, pauca de Bucolicis. Decem sunt, hexametris scripta ab anno fere XLII ad a. XXXIX,<sup>2</sup> hortantibus Asinio Pollione et Cornelio Gallo. Cur *bucolica* Vergilius inscripserit causam statim intelleges, si cogitaveris βουκόλον, Graecum verbum, « pastorem » Latine significare. Ergo *bucolica* carmina sunt pastorum, Graeco βουκόλικά ἐπη. Haec carmina sunt qui *eclogas* appellent, a verbo Graeco ἐκλέγειν, idest a colligendo. Hoc opere Vergilius Syracusanum illum summum poetam, Theocritum, manifesto imitatus est, qui simplicem ac liberam pastorum vitam eorumque animi sensus nativos, neque civili cultu atque humanitate neque civitatum corruptis moribus atque luxu infectos, exquisitis versibus, optimo iudicio, summo ac paene divino artificio expresserat. Qua in imitatione, quamvis Vergilius multa verba, multas sententias, multos colores a Graeco illo poeta hauserit, eum tamen pluribus de causis non interpretem, sed suum esse dixeris. Nam ille et significationes, quas allegorias appellant, multas videtur induxisse, summos rei publicae viros ita praebendo, ut pastorali habitu atque agresti sermone utantur et animum illum suum, summa humanitate et

1. Cuius *Appendicis* haec praecipua sunt opera: CULEX (414 hexam.); CIRIS (541 hexam.); MORETUM (114 hexam.); COPA (19 disticha); CATALEPTON (tria Priapeia hoc opus continet et quattuordecim brevia carmina; inscriptio autem ab Arati brevibus carminibus ducta est κατὰ Λεπτὸν collectis); DIRAE; ELEGIAE IN MAECENATEM (duae sunt elegiae de Maecenate mortuo).

2. Tamen satis constat Bucolicum carmen X nonnisi anno XXXVII compositum esse.

dulcissima ac fere muliebri suavitate ornatum, dulcibus ac mirabilibus versibus expressit. Quin etiam plura suae vitae momenta in his carminibus videtur significasse, in primis agrum sibi primo ab Augusto servatum (Ecl. I) deinde amissum et a centurione quodam veterano occupatum (Ecl. IX); itemque animum suum gratum ostendit illis qui eum foverunt et sua amicitia fulserunt, ut Octaviano, ut Asinio Pollioni, ut Alpheno Varo, ut denique Cornelio Gallo. Magnam varietatem etiam in argumentis invenias; canit enim ille modo Tityri gaudium, Meliboei maerorem, illud ob recuperatum, hunc ob amissum agellum; modo lamentationem amantis, quod non redametur; modo certamen inter pastores poeticum. At Ecloga IV, quae maxime est memoria digna, cum divini cuiusdam pueri imminentem ortum canat, alteram auream aetatem vaticinatur.<sup>1</sup> V Ecloga Daphnis mortem et in deum commutationem celebrat; VI mundi originem ita memorat, ut Epicurum Lucretiumque sequi videatur. In VII Corydonem et Thirsim pastores coram Meliboeo poetice certantes inducit. In VIII lamentationes Damonis ab uxore deserti et Alphesiboei veneficia et remedia cum legamus, facere non possumus quin Theocritei idylli illius meminerimus quod *Φαρμακείτρια* inscribitur. IX suum ille animi dolorem ob agrum amissum versibus solari conatur. X denique Cornelium Gallum quam Lycoris, inconstanti animo puella, deseruerat ut militem quendam trans Alpes sequeretur, ita alloquitur, ut videatur tristissimum eius animum tam diro dolore maestisque curis levare inpenso studio cupere.

Haec carmina tantam eruditorum hominum admirationem moverunt, ut ille non solum multas laudes a multis, sed etiam domum Romae a Maecenate, villam in Campania ab Octaviano gratissima dona acceperit. Itaque editis Bucolicis Vergilius, ut supra diximus, sedes ac vitam

1. Satis inter omnes constat hanc eclogam varie variis aetatibus eos qui intellogunt interpretatos esse: media, quam appollant, aetate vulgo censuerunt Vergilium vaticinatum esse Christi ortum. At Asinius Gallus, Pollionis filius, gloriabatur se suumque ortum a Vergilio praedictum esse. Nostra autem aetate Norden quidem, insignis grammaticus, defendit-neque tamen omnibus persuasit-nativitate illa nonnisi novi redeuntis aevi initium per Apollinem vel solem, post hiemalem solstitium remeantem, significari.

in Campania collocavit, ubi agri culturae studia fervebant. Illic in otio atque agris amorem illum erga agricolas eorumque simplicem rusticamque vitam fovit atque accendit, quo impulsus Maecenatisque iussis<sup>1</sup> motus, GEORGICA illa scribere instituit et septem per annos, ab anno XXXVII ad a. XXX, diligentissime composuit atque exposivit.<sup>2</sup> Quattuor sunt libri quorum *primo*

Quid faciat laetas segetes, quo sidere terram  
vertere... (conveniat) (I, 1-2)

vel « arborum cultum et sidera caeli » (II, 1) ille canit; *secundo* arborum culturam ac praesertim vitium atque olearum (« ulmisque adiungere vites »); *tertio* « quae cura boum, qui cultus habendo – sit pecori » vel rem pecuariam ac praesertim boum curam atque equorum; *quarto* denique « apibus quanta experientia parcis » vel curam apium. Quo in opere scribendo multa ab Hesiodo, a Xenophontis Oeconomico, a Catone illo Maiore, a Magone Carthaginiensi ille quidem sumpsit, sed omnia tanto studio, tanta arte, tanto denique animi afflatu composuit, ut hoc maxime opus vere Vergilianum esse videatur, quippe quod Vergili studia ac nativas virtutes, ut ita dicam, totumque fere ingenium legentibus expressum ostendat. Ille enim res ad agricolas, ad arbores, ad pecora, ad apes pertinentes non modo poetice exposuit atque edocuit, sed etiam pulcherrimis digressionibus exornavit. Itaque primo in libro auream aetatem et quinque mundi zonas et prodigia, quae Caesaris caedem secuta sunt, mirabili artificio descripta invenimus. Tum in secundo libro nobilissimas laudes cum Italiae tum agricolarum vitae ab urbis incolis maxime alienae; in tertio, ut alia praetermittam, descriptionem pestilentiae, qua greges in Norico correpti sunt; in quarto denique miram illam de Aristaeo narrationem magna cum

1. Maecenatis « haud mollia iussa » Vergilius ipse memorat (III, 41); quibus fortasse verbis impulsus, Servius (Vita Verg. I) « proposuit — inquit — Maecenas Georgica ». Neque tamen dixeris Maecenatem poeticum instinctum Vergilio imperasse!

2. Georgica a. XXIX primum, deinde, quibusdam immutatis ac praesertim pro Corneli Galli laude, qua liber IV fortasse finitus erat, Aristaei fabula substituta, post annum XXVI iterum edidit.



animi delectatione legimus. His vero in poematis partibus saepe Vergilium aliquid a Lucretio sumpsisse sentias, non tam eius opinionem de rerum natura imitatum quam animi sensus ac praesertim maestitiam quodammodo mutuatum.

Satis constat poema iam perfectum atque expoliturum coram Octaviano, ab Asia post Actiacam pugnam redeunte, modo Vergilium ipsum modo Maccenatem, Atellae — quo in oppido Octavianus gulæ morbo affectus aliquot dies commoratus est — aestate anni XXIX, recitavisse summa cum imperatoris delectatione.

Nunc ad Aeneada veniamus, quod poema si non perfectissimum, tamen maximum Vergili opus esse quis negaverit? Iam ille et in Bucolicis<sup>1</sup> se «reges et proelia» canere voluisse affirmat et in Georgicis<sup>2</sup> magnum epicum poema scripturum esse significat. Quin etiam videtur primum ille in animo habuisse Octaviani res egregie gestas perpetuo poemate celebrare, magnumque epicum carmem conscribere quod propius ad historiam pertineret, id quod Naevius iam et Ennius haud sine laude temptaverant. Deinde, mutato in melius consilio, eas res eosque viros canere instituit, quibus facilius atque pulchrius poesim cum historia posset coniungere. Itaque non tam Octavianum ipsum quam praeclaram eius gentis urbisque Romæ ac paene immensi illius imperi originem laudibus extollere constituit, ita tamen ut res Romanas ac fortia virorum facta omnium temporum cum pulcherrimis fabulis miro ac fere divino artificio commisceret exquisitisque poeticis coloribus ornaret atque pingeret. Quod ut consequeretur, Romæ originem cum Ilio deleto coniunxit — hac quidem in re Naevium Enniumque imitatus — et Aeneam eiusque errores et luctus et arma et virtutes ita cecinit, ut eorum, quæ postea fuerunt, multa antiquissimis illis temporibus attribuerit, multa deos vel sacerdotes vaticinantes induxerit, multa felici quodam artificio iam tum significata fuisse ostenderit. Nam ille, rerum omnium quas ca-

1. Ofr. VI v. 34: «Cum canerem reges et proelia, Cynthia aurem — vellit et admonuit.

2. Georg. III, 12-39: Templo enim illo, quod Vergilius aedificare studet, («et viridi in campo templum de marmore ponam») non nisi epicum poema de Octaviani laudibus significatur.

nere coepit tamquam arbiter ac dominus, suo quaeque loco ut ipse vult disponit ac digerit. Quodsi litterarum monumenta superioresque scriptores diligentissime perpenderit ac lectitavit, ea quae didicit in suum, ut ita dicam, sanguinem convertit, suoque illo ingenti ingenio nisus, res obscuras atque ieiunas in ipsam poesis dulcedinem ac suavitatem commutavit, idque poema condidit, quod omnes omnium aetatum homines, modo aliqua doctrina imbuti, aliquo iudicio praediti, quamvis ultima manus non accesserit, semper laudarent et laudent. Omnium autem potissimum Homerum ille imitatus est, quem paene semper, ut ita dicam, sub oculis habuit; cum enim Aeneis ex duodecim libris constet, sex priores legentibus Odysseae complures loci veniunt in mentem; at si sex illos posteriores volutes, Iliadis profecto memineris. Cum autem totum poema maximi momenti sit, oportet eius argumentum quamvis paucis proferre.

Postquam igitur Vergilius se suis versibus Aeneam canere instituisse professus est Musamque invocavit, statim in *medias res*, id quod in poeta epico Horatius laudat, *auditorem rapit*; statim enim Troianos duce Aenea fugientes in Mari Infero, Latium classe petentes, inducit. Ac paene securi illi navigant, cum Iuno iniuriae a Paride sibi illatae nondum oblita, Aeolum, ventorum regem, adit; cui persuadet ut incutiat vim ventis submersasque « obruat puppes ». Tum ingenti coorta procella, Aeneas eiusque socii, fluctibus diu exagitati ac disiecti, vix septem collectis navibus omni ex numero, in Africae litus compulsi sunt. Interea Neptunus procellam sedat; at in aethere summo apud Iovem Venus Troianorum casus ac triste fili fatum queritur; cui Iuppiter fatorum arcana futuramque Iuliae gentis Romanorumque gloriam aperit. Neque multo post in terris Aeneae loca exploranti ipsa mater dea mutato vultu occurrit viamque ostendit: qua ille nascentem Carthaginem ingressus, et a Didone hospitio acceptus, regale convivium init; in quo multa Dido de extremo Ili labore rogitat. Haec fere primo libro continentur.

Libro *secundo* extremus Troiae labor narratur; cuius materiem Vergilius non ab Homero, sed a cyclicis, quos appellant, poetis hausit.

Liber *Tertius* Aeneae errores complectitur ab initio fugae usque ad procellam illam, unde poema totum incipit: illud autem dignum est quod animadvertatur, Vergilium cum Troiae excidium, tum Troianorum longos errores Aeneam ipsum induxisse narrantem; in quo Homeri artificium, quo Ulixes in l. IX suos narrans casus inducitur, peropportune imitatus est, ut suum poema unum efficeret. Longa igitur Aeneae narratio tertio secundi libri versu incipit (« infandum regina iubes renovare dolorem »), extremis fere libri terti versibus clauditur (« Hic labor extremus, longarum haec meta viarum. — Hinc me digressum vestris deus appulit oris »). Hos tres ultimi totius libri sequuntur versus:

Sic pater Aeneas intentis omnibus unus  
fata renarrabat divum cursusque docebat.  
Conticuit tandem, factoque hic fine, quievit.

In libro *quarto* miserum illum Didonis amorem miro artificio descriptum legimus: quam diversis animi motibus exagitata ius iurandum illud violaverit, quod apud Sychaei, viri sui, cinerem dedisset, se posthac nulli esse nupturam: quibus Iunonis Venerisque artibus Aeneas amore illo victus, iugali vinculo cum ea se coniunxerit. At Iuppiter, fatorum memor, eum per Mercurium monet, ut coniuge relicta Latium petat. Tum vero miserrima illa Dido, Aenea clam profecto, animi cruciatu oppressa, rogos quos sibi extruxerat conscendit gladioque quem ab Aenea dono acceperat incumbit. Hoc in libro Vergilius praesertim et Apolloni illius Rhodii Medeam et Catulli Ariadnen sub oculis videtur quodammodo tenuisse.

In libro *quinto* Aenam videmus Italiam classe petentem. Ceterum procella iterum correptus et in Siciliae litus eiectus, a rege Aceste hospitio accipitur. Neque multo post —  
nam

annuus exactis completur mensibus orbis,  
ex quo reliquias divinique ossa parentis  
(Aeneas) condiderat terra maestaque sacraverat aras —

in Anchisae honorem magni ludi celebrantur, quibus et Siculi et Troiani intersunt: hic navium cursum Vergilius

miro quodam artificio describit, deinde iuvenes pedum pernecitate certantes inducit. Tum Dares et Entellus — par ingentibus ac plus quam humanis corporis viribus vere praeditum — pugnis ac caestu inter se contendunt. Aliud certamen sequitur postquam

protinus Aeneas celeri certare sagitta  
invitat.

Postremo adulescentes ludum illum Troianum, quem appellant, duce Ascanio equis et armis instituunt. Dum haec fiunt, procul Troianae mulieres, Iunonis artibus in brevem furorem versae, naves incendunt, ne viri se longius procedere cogant, cum velint illic novam sibi urbem condi. Viri tamen in tempore adveniunt ut Iove adiuvante incendium extinguant. Tum Aeneas mulieres statuit in Sicilia relinquere, quibus et viris minime validis urbem condit; ipse cum ceteris naves conscendit. Hic liber morte Palinuri gubernatoris clauditur, qui in navigatione somno correptus corruit in undas.

Libro *sexto* descriptio continetur itineris illius, quo Aeneas descendit ad inferos. Postquam enim Troianus heros Cumas appulit, Sibyllae antrum immane, Anchisae iussa secutus, petit. Tum, illa duce, regnum mortuorum visit, in quibus, ut praecipuos memorem, et Palinurum invenit et Didonem aspicit; quam cum alloqui vellet ut se fugae illo crimine purgaret, «ardentem et torva tuentem» retinere non potuit. Tum fortissimorum Troianorum umbris occurrit, ex quibus unus, Deiphobus, Priami filius, suos casus narrat extremamque Helenae perfidiam aperit. Deinde cum iter una cum Sibylla pergat, ad eum locum perveniunt, unde Tartarum, damnatorum sedem, despicunt; neque enim licet Aencae illuc descendere; protinus Elysios campos ineunt, ubi filius patri Anchisae occurrit. Tum Aeneas «in valle reducta» videt innumeras gentes populosque volantes circum Lethaeum amnem. Cui quae-

quae sint ea flumina porro  
quive viri tanto compleverint agmine ripas

Anchises respondet animas esse

quibus altera fato  
corpora debentur.

Hoc artificio, antiqua illa philosophorum opinione nissus de migratione animorum, Vergilius Anchisen induxit filio animas illas ostendentem, quae postea in terras descensurae essent, fortissimorum scilicet Romanorum, qui vel sapientia vel animi fortitudine vel armis rem publicam condiderunt, auxerunt, servaverunt. In quibus et Iulius Caesar et Octavianus maxima gloria fulgent; ceteros tamen et gratia et forma et fulgentibus armis iuvenis ille superat Marcellus, Octaviae, Octaviani sororis, filius, acerbissimo funere raptus. Quem cum Anchises lacrimis et egregiis laudibus celebret, enumerationem illam concludit. Hic locus totus est in primis memoria dignus, quippe quo Vergilius mirum in modum ostendat quam egregio artificio quamque opportune res gestas cum fabulis commiscuerit atque conciliaverit. Quodsi ab XI illo Odysseae libro, qui est de umbris, initium quodammodo cepit, totus liber tamen longe est ab Homero dissimilis.

A libro *septimo* secunda incipit poematis pars, quae tota fere proeliis atque tuba resonat. Cum enim venienti Aeneae Latinus, Lati rex, antiqui oraculi memor, Laviniam filiam, quam Turno Rutulorum regi sponderat, dubitare videatur an in matrimonium det, Iuno, quippe cui ea duorum populorum coaiunctio minime placeat, Allecto, horrendam Furiam, ab inferis arcessitam iubet reginae Amatae primum, deinde omnium Latinorum Turnique animos adversus advenas excitare. Cuius incendi atque belli causam vel potius scintillam Ascanius ignarus praebet, cervum quemdam « forma praestanti et cornibus ingentem » necando. Tum bello coorto magna Italorum pars Turno Latinisque accurrit ut opem ferat. Haec fere libro septimo continentur.

At in libro *octavo* dum Turnus ad Diomedem Graecum, qui in Italiam sedem transtulerat, legatos mittit, qui auxilia petant, Aeneas a suis discedit, ut et ipse opem petat ab Euandro Arcade, qui, a Graecia profectus, iam diu apud Tiberim urbem Pallanteum in colle, quem postea Palatinum appellaverunt, condiderat. Tum ab Arcade rege benigne acceptus, de Hercule et Caco fabulam audit.

Deinde auxilia impetrat, quin etiam iuvenum Arcadum manum una cum eorum duce Pallante, ipsius Euandri filio, secum accipit. Interea Venus Vulcano persuadet ut arma Aeneae pulcherrima paret. Quorum descriptione, quae maxime est memoria digna, liber octavus clauditur: multis illa versibus continetur, cum multas res postea gestas Volcanus in scuto effinxerit, quibus Romanorum gloria nititur. In quo Vergilium magnam Iliadis L. XVIII partem imitatum esse nemo non videt; tamen ita imitatus est ut etiam hoc loco suus exstiterit.

In libro nono Iuno, semper Troianis eorumque duci invidens, dum Aeneas abest, animos Turno addit itaque excitat ut Troianorum castra aggrediatur, si eos impellere possit ut proelium secum committant. Neque vero illi e castris prodeunt. Tum Rutulorum rex

classem, quae lateri castrorum adiuncta latebat  
aggeribus saeptam circum et fluvialibus undis,  
invadit

atque incendio delere conatur, cum, mirabile dictu, naves, arboribus montis Idae confectae, a Cybele in nymphas mutatae, ignem atque exitium effugiunt. Hic vero locus ille praeclarus sequitur de Euryalo et Niso; qui, nobili amicitia coniuncti, hostium castra transire ausi ut Aenean de Troianorum condicionibus certiorum faciant, magnam primo dormientium hostium edunt caedem, deinde, Latinorum manu iter facientium deprehensi ac quamvis strenue se defenderint tandem oppressi, praeclaram mortem ac gloria dignam inveniunt. Neque multo post Troianorum castra hostes iterum aggrediuntur: illi fortiter obnituntur, quin etiam eruptionem faciunt. Ceterum, in fugam conversi, cum in castra redeunt, eadem porta, qua ipsi ingrediuntur, Turnum quoque imprudentes admittunt; qui unus adversus omnes diu furit, donec, undique a viris et armis circumventus, ut salutem sibi pararet

praeceps saltu sese omnibus armis  
in fluvium dedit.

Hactenus liber nonus, in quo fabulam illam de Euryalo et Niso legenti libri X Iliadis nocturnaeque illius Ulixis et Diomedis expeditionis venit in mentem.

*Decimus* a concilio deorum initium capit: in quo Iupiter deos hortatur ut concordēs se praebeant: se neutri nec Aeneae nec Turno favere: fati liberum cursum permisurum. At in terris Aeneas cum sociorum copiis — quas Vergilius recenset — ad suos revertitur. Tum proelium atrocius exardescit. In quo, cum Turnus Pallanta illum, Euanthri filium, interfectum balteo spoliaverit, cum Aeneas, ira atque dolore incensus, adgreditur, ulciscendi adolescentis cupidus. At Iuno regem Rutulorum fraude quadam pugnae subducit. Furi Aeneas ingentemque hostium caedem edit: tum Mezentium, saevissimum illum Etruscorum tyrannum iam diu in exilium a suis pulsum, ferit eiusque fortissimum filium, Lausum, qui suo corpore patrem obtexerat, occidit. Deinde Mezentium ipsum, qui, quamvis iam vulnere infirmus, fili necem ulciscendi cupidus, Aeneae moriturus occurrit, prosternit ac necat.

Libro *undecimo* haec praesertim continentur: Pallantis corpus, ad patrem delatum, cum ingenti fletu animique cruciatu a miserrimo illo patre excipitur. Dum autem extremi honores apud et Latinos et Troianos iis redduntur, qui pugnando ceciderunt, legatio, ad regem Diomedem ad auxilia petenda iam missa, re infecta redit. Tum in Latinorum Rutulorumque concilio Drances et Turnus, qui inter se oderant, oratione contendunt: Drances, ut regis Latini sententiam pacem suadentis defendat; Turnus, ut hunc refellat bellumque maioribus viribus excitet. Dum ita consulitur, nuntius advenit hostium exercitum ad urbem appropinquare: urbs terrore ac tumultu miscetur. Hanc Turnus occasionem nactus, defensionem atque arma parat. Neque multo post Camilla, fortissima virgo — cuius Vergilius vitam et casus invictumque in bello robur singularemque virtutem narrat — Arruntis telo ex insidiis interficitur. Tum vero Rutuli exterriti fuga urbem petunt insectantibus Troianis. At Turnus, ubi nuntium necatae Camillae fugientiumque suorum audivit, ira illa sua incensus ac fore in furorem versus, ex insidiis, ubi latebat ad Aeneam retinendum, obviam hostibus volat. Adversos exercitus iam ad pugnam paratos nox superveniens coercet: Auroram igitur utrique sub Laurenti moenibus expectant.

Sed in libro *duodecimo* Turnus, cum Latinos fractos animis vidisset, statuit singulare certamen, quod Aeneas ei iam proposuerat, inire. Itaque rex uterque, utroque exercitu spectante, certaminis condiciones pactas iure iurando firmat. At Iuturna nympa, Turni soror, a Iunone missa, Rutulos, parum iam suo regi fisos, Tolumniumque, eorum augurem, portento quodam impellit ut certamen turbent et ius iurandum violent. (In quo Vergilius Iliadis locum quendam libri IV imitatus est). Hinc ingenti exorto tumultu ac proelio, Aeneas ipse telo est ictus. Deinde Veneris matris artibus sanatus atque in pristinas vires restitutus, ingentem hostium edit caedem Turnumque frustra quaerit, quippe qui a Iuturna sorore invitus procul curru trahatur. Tum Aeneas urbis moenia aggredi statuit. At regina Amata, iam diu Troiano duci infensa, hostium impetu exterrita et Turnum, cui magno studio favebat, iam occisum esse rata, se ipsa iugulat:

et nodum informis leti trabe nectit ab alta.

Mox Turnus, cum sororem effugisset, ad urbem, adversus Aeneam, cursu tetendit. Tandem, singulari illo certamine exorto, in Olympo Iuppiter et Iuno inter se ita paciscuntur, ut Aeneae victoria non Troiae potentia aut nomen instauretur, sed magnae urbis novae, Romae, Troianis Latinisque coniunctis, ingens gloria comparetur. Tum Rutulorum fortissimus ille rex a Furia, quam Iuppiter ipse sub dirae avis specie miserat, deterritus, ab Aenea ictus et devictus est. Cui oranti Aeneas miseratus in eo erat ut parceret, sed cum prostratum hostem illo Pallantis, quem is necatum spoliaverat, balteo ornatum vidisset, ira ac dolore incensus

ferrum adverso sub pectore condit  
 fervidus. Ast illi solvuntur frigore membra  
 vitaeque cum gemitu fugit indignata sub umbras.

His versibus Turnique morte postremus Aeneidis liber clauditur.

Quo poemate, quamquam extrema manus non accessit — satis enim constat Vergilium totum flammis dolere voluisse et quinquaginta quattuor versus ne iusto quidem



pedum numero conclusisse — maximam tamen sibi et urbi Romae et Octaviano gloriam comparavit. Hoc enim maxime et eclogā illā quartā Vergilius tota fere quam mediam appellant aetate tantum sui studium excitavit; hoc maximus ille Italicus poeta, Dantes Aligherius, eum in fabuloso illo ad inferos itinere ducem ac magistrum potissimum elegit; hoc praesertim Vergili nomen aeternum manebit.

### Quintus Horatius Flaccus.

Venusiae, humili loco — nam eius pater libertinus, vectigalium coactor vel salsamentarius videtur fuisse (quamquam praediolum aliquod possedit), de matre vero nihil omnino traditum est — anno LXV natus, pueritiae annos in nativo oppido ita degit, ut patris cura ac voluntate iisdem praeceptoribus uteretur, quibus pueri — ut ipse non sine irrisione aliqua dicit — «magnis centurionibus orti»; deinde, cum Romam venisset, patre diligentissime curante ut optime institueretur, praecclaros litterarum magistros audivit, ex quibus Orbilius illum ipse memorat, quem «plagiosum» appellat. Tum viginti annos natus, ut plerique nobilium familiarum filii, Athenas petivit, ut optimos philosophiae magistros audiret et optima quaeque perdisceret. Unde, cum iam bellum illud inter triumviros et liberae rei publicae defensores, exarsisset, a Bruto, horum duce, ut arma caperet impulsus eademque partes sequeretur, anno XLII ad Philippos tribunus militum adverso Marte pugnavit, tum «relicta... parmula» et ipse fuga salutem petivit, id quod postea memorare idcirco profecto eum non puduit, quod idem apud Graecos et Archilochus et Alcaeus, summi poetae, fecerant. Neque multo post cum Romam redisset, paupertate ac fere egestate impulsus — nam patrio quoque agello spoliatus erat — cum modicum scribae quaestorii munus sibi comparavisset, versus scribere coepit; deinde, amicitia cum Vergilio et Vario poetis coniunctus et ab his ad Maecenatem adductus, maximum sibi praesidium invenit; a quo amoena villa in Sabinis donatus, laeta ac segura ibi otia duxit felicemque se ac fere beatum censuit. Interea cum fama eius carminum

percrebuisset, et magnam hominum ipsiusque Augusti, quem tamen numquam fere est adulatus, laudem invenit et invidentium morsus expertus est.

Qui anno VIII a. Ch. n., a. d. V Kal. Dec., paucis mensibus post Maecenatis obitum,<sup>1</sup> decessit, omniaque sua cum Augusto legavisset, amplissimo funere decoratus, Aesquiliis apud Maecenatem ipsum sepulturam invenit.

Cuius opera omnia, quae quidem ipse ediderit, ad nos pervenerunt. Quae hoc, ut videtur, temporum ordine edidit: *Satirarum* librum priorem, anno fere XXXV a. Ch. n., *Epodon* librum, anno XXX, *Satirarum* librum alterum eodem anno; *Carminum* tres priores libros anno XXIII; *Epistularum* librum priorem anno vel XX vel XIX; *Carmen Saeculare* anno XVII; postremo *Epistularum* librum alterum anno fere XIV, si tertiam epistulam, quae a Quintiliano, ut videtur, *de arte Poetica* inscripta est, quaque liber clauditur, excipias: hanc enim, quo anno Horatius ediderit parum constat.

His ex operibus si quaeris quod Horati maxime sit proprium quodque ei maximam famam comparaverit, nullum est dubium quin *Satirarum* libri deligendi sint,<sup>2</sup> non quod ille *satirarum* genus primus invenerit — nam et Ennium et Varronem Reatinum et maxime Lucilium *satiras* scripsisse iam vidimus — sed quia huic generi notam quandam suam adiecit. Nam de Enni Varronisque *satiris* pauca vel nihil cognovimus; sed Lucilium eo genere ita usum esse constat, ut nemini vel insigni viro vel humili parceret, sed omnes, qui vitio aliquo laborarent, horribili flagello verberaret vel, ut Iuvenalis ait, tamquam destricto gladio vulneraret. At Horatius semper fere *Satirae* sales ac dicacitatem magna urbanitate, qua inter omnes excelsit, mirum in modum temperavit. Neque vero tam vitiosos quam vitia reprehendere videtur: neque in homines

1. Hoc ipso in *Carm.* II, 17 fere praedixerat; nam ad Maecenatem scripserat:

Ibimus, ibimus,  
utcumque praecedes, supremum  
carpere iter comites parati.

2. Hoc etiam Dantes ille noster optime intellexit. Cfr. enim *Div. Com.* IV, 89: «l'altro è Orazio satiro...».

invehi solet, neque declamatione utitur, sed genere dicendi demisso ac tenui, ut merito suas satiras, quamvis versibus hexametris scriptas, *sermones* ipse appellaverit et hoc genus totum dubitaverit an non ad poetas pertineret. (Sat. I, 4) Quodsi Horati hexametros cum Vergili hexametris comparabis, videbis profecto quantum inter illos intersit; non quod Horatius versus apte concludere nesciverit, sed ipse eos versus componere voluit quibus non auris alliceretur, sed animus placide ac pacate moneretur atque institueretur. Neque tamen dixeris hominum vitia eum flagrantissime odisse aut virtutem ingenti studio amavisse aut magnis ipsum animi motibus incitatum esse; quin etiam mediocritatem ille unam amavit, mediocritatis semper sectator fuit, id quod ipse mirum in modum his versibus expressit:

Est modus in rebus, sunt certi denique fines,  
quos ultra citraque nequit consistere rectum.

(Sat. I, 1)

Argumenta, ut in satirarum genere fieri solebat, varia sunt: modo enim de vitio aliquo, modo de se ipse eoque poesis genere, quo utitur, agit: modo homines impellit, ut in omnibus rebus inter iustos fines se contineant, modo aliquid cui ipse interfuerit iucunde narrat ut iter illud, quo cum Vergilio Varioque aliisque iucundissimis amicis Brundisium petivit;<sup>1</sup> modo Lucilium aliosque poetas vario iudicio vel laudat vel reprehendit. Omnium tamen Horati satirarum duae fortasse maxime innotuerunt, IX libri prioris et VI alterius libri. Quarum alterā importunum quemdam hominem lepidissimis ille versibus effingit atque deridet, alterā suum Maecenati gratissimum animum aptissime ostendit, cum illi beatum otium describat, quo in villa Sabina, quam dono ab illo acceperat, fruatur ac gaudeat procul negotiis atque urbe. Neque illud praetermittere mihi videtur: in Horati satiris multa nos invenire ex quibus Romanorum mores ac consuetudines vitae in luce pateant.

1. Sat. I, 5: in qua Lucilium est imitatus; nam etiam hic suum iter descripserat.

EPODON liber septendecim carmina amplectitur. Quod ad inscriptionem pertinet, satis constat Horatium hos appellasse iambos, quod plerique Archilochi iambis et vi atque impetu et versuum genere quodammodo similes essent; et grammatici epodos idcirco appellaverunt, quod decem priores ex huiusmodi distichis constant, in quibus priorem versum (trimetrum iambicum) brevior sequatur alter (dimeter iambicus), Graeci autem breviores versus qui longiores sequerentur ἐπώδους appellare soliti erant. In his carminibus Horatius saepe vel in singulos — ut in Maevium, malum poetam, et in Canidiam, veneficam sagam — vel in hominum coetum invehitur; in quibusdam, cum de amorum illecebris agat, ita turpibus atque obscenis utitur versibus, ut Quintilianus censuerit eos suis discipulis non esse legendos; at in II optimam oti atque ruris laudem invenimus; neque in aliis verba desunt doloris ac reprehensionis plena de bello civili, neque adhortatio ut homines animi maerorem vino dissolvant; postremo ridentem eum ac facete scribentem interdum videmus. Quod ad genus dicendi pertinet, haud multum abesse sentimus a diligenti illa atque pereleganti versuum et verborum venustate, quam in quattuor carminum libris invenimus.

CARMINA CIII sunt, ita in quattuor libros distributa, ut libro primo XXXVIII, secundo XX, tertio XX, quarto demum XV contineantur: his omnibus Horatius famam maximi Romanorum lyrici poetae apud posteros sibi comparavit; neque immerito, quamquam Catullus, aliis quidem virtutibus praeditus, haud ita longo intervallo eum sequitur, ut cum illo certare non possit. Sed, ut supra dixi, Catullus aliud poeticae genus cum sibi delegisset iisque temporibus vixisset, quibus poetae potius Alexandrini quam maximi illi optimaе aetatis Graeci poetae imitatione digni viderentur, nonnumquam genere quodam putidiore delectatus est; cum autem animi sensus, qui maxime ad lyricam pertinerent, maxima cum facilitate expresserit, rude tamen aliquid in versibus adhibuit. At Horatius Alcaeam, Sappho, Anacreontem in primis secutus, quamvis neque Alcaei neque Sapphus poetico illo spiritu elatus, uberiorem poeticae venam hausit; idemque, cum perfectissimos maximorum poetarum Alexandrinorum versus

lectitavisset atque nitidi et lēvis scribendi generis sua fortasse natura curiosus sectator esset limaeque, quam appellant, studiosissimus artifex, ea carmina composuit, in quibus vehementissimos quidem animi sensus ac spiritum vere poeticum interdum desideres, elegantiam tamen verborum et locutionis et versuum mirabilem invenias: adde sententiarum varietatem; adde modo facetias atque leporem, modo singularem quandam rerum verborumque gravitatem.

Quod vero ad argumenta pertinet, amores ille canit et optima vini genera et suum ipsius poeticae ac laudis studium et locorum amoenitates et ruris dulcia otia et amicitiae iucunditatem et deorum heroumque laudes et veterum Romanorum virtutes et Caesaris Octaviani divinum genus divinamque in omnibus et hominibus et rebus praestantiam et Romae gloriam immortalem et Maecenatis liberalitatem et suum erga patronum illum gratum animum amorisque sensum. Neque vero omnia quae ille in carminibus exprompsit paucis dicere possum: haec tamen, quae dixi, saepius in eius versibus invenias. Amores autem ita cecinit, ut eum legens Catulli vim efficacemque illam simplicitatem desideres; quin etiam numquam Horatius puellam ullam vero animi ardore videtur amavisse. Cuius ex carminibus omnibus sex illa terti libri maxime innotuerunt, quae, cum Romanorum mores et virtutes et gloriam et potentiam vel laudibus celebrent vel imitanda commendent, *carmina Romana* ab omnibus fere appellantur. Horum famam *Carmen* illud *Saeculare* superavit, quod Horatius Augusti iussu anno XVII a. Ch. n. idcirco composuit, ut a XXVII pueris et XXVII puellis patrimis et matris in Capitolio saecularibus ludis ac sacris caneretur; in quo ille quas preces Romani apud maximos deos eo in tempore adhiberent, eas sapphico metro elegantissime<sup>1</sup>

1. In ceteris carminibus praeter metrum sapphicum, quo frequenter est usus, alia metra a Graecis in Latinas litteras primus ut ipse affirmat transtulit; quae si omnia computes, tredecim invenis, quorum quinque Asclepiadea, duo Sapphica nam praeter usitatum illud, quod « minus » appellant, est etiam alterum « minus » — tria Archilochea, unum Alcaicum — quod ille quidem in XXXVII carminibus adhibuit — unum Hipponactem, unum denique Ionicum a minore.

Quod autem affirmavit, haec metra se primum a Graecis transtulisse, id aliqua ex parte haud videtur verum esse: Catullus enim nonnulla ante eum in lucem prompserat; illud verisimile est, Horatium perfecisse atque perpollivisse, quod Catullus inchoavisset.

interpretatus est Romanique imperi gloriam et virtutum, ut ita dicam, hereditatem gravissime laudavit.

Veniamus nunc ad **EPISTULAS**. Quarum liber prior, cum viginti epistulas contineat, tamen haud multo longior est altero, qui tres tantum, si epistulam illam ad Pisones includas, complectitur; libri vero argumentis dissimiles sunt; nam prioris libri epistulae fere omnes, quamvis versibus scriptae, de variis rebus ita agunt, ut veris litteris similes esse videantur: at epistulas alterius libri poetica potius opuscula ac quasi disputationes de bonis litteris dixeris. Praeterea libri prioris epistulae, cum de philosophia, de virtutibus, de vitiis, de moribus saepe sint, urbanitatem iam satirarum quamvis pacatiorem faciunt ut quodammodo sentias. Alterius libri prima est ad Augustum, secunda ad Iulium Florum, tertia, ut supra dixi, ad Pisones. Hanc autem omnium maxime innotuisse quis ignorat? Hac optima de arte poetica praecepta continentur, praesertim de dramatico genere. Duas in illa tamquam partes videre licet; quarum prior de iis virtutibus est, quibus qui bonis artibus, ut picturae, ut sculpturae, ut poeticae, studeat praeditus sit oporteat, variaque poesis genera attingit ut epicum poema, ut iambos, ut elegos, ut melicum genus; altera fere tota de dramatico, quod appellant, genere severa et probata iudicia ac praecepta continet. Bonum autem poetam non solum natura et iudicio, sed etiam litterarum studio fieri.

Hoc in opusculo si quaeras quem potissimum imitatus sit, multa ille quidem ab Aristotele hausit, sed praesertim Neoptolemi cuiusdam, Peripatetici, et Philodemi Epicurei opera de arte poetica videtur esse secutus.

Haec sunt Horati opera quibus ille maximam sibi apud posteros famam atque gloriam comparavit; quodsi eius satirae iis qui intellegunt maxime placuerunt et placent, ipse vero maiora sua Carmina iudicavit; tres enim illos priores Carminum libros editurus, hunc versum composuit:

Exegi monumentum aere perennius.

Quod monumentum manet magis in dies, ut ita dicam, recens omniumque laudibus dignum.

**De maximis elegorum scriptoribus.**

Nunc genus illud videamus, quo Romani, Quintiliani sententia, Graecos provocaverunt. Quod si iam Caesaris Ciceronisque temporibus, praesertim per Catullum magnum in honorem venit, Augusti tamen aetate maxime floruit. In quo illud in primis est animadvertendum, elegos apud Romanos suam quandam propriamque notam habuisse: nam apud Graecos elegi nonnisi distichi fuerant ad omnia fere sententiarum animique motuum genera apti, quibus poetae vel ad virtutem atque proelium milites excitarent vel cives ad concordiam, ad prudentiam, ad modestiam impellerent vel hominibus sapientiam commenderent vel suam in re publica opinionem aperirent atque explicarent; si tamen Mimnermum illum excipias, qui Romanis quadammodo viam primus ostendit. Alexandrini autem poetae non totas elegias iisdem animi sensibus, quibus Romani, impleverant, sed breviam epigrammata tantum. At Romani elegiam ita adhibere soliti fuerunt, ut molles animi sensus ac praesertim amores suavemque quandam maestitiam aperirent ac levarent. Haec igitur eorum elegiae praecipua nota fuit; quam in ipso Catullo iam fuisse vidimus; non ita tamen, ut palmam in hoc genere iis poetis sustulerit, qui, cum vel solas vel praesertim elegias scripserint, nomen fere ab ipso genere duxerunt.

Quorum primus temporum ordine ille C. CORNELIUS GALLUS fuit quem supra, cum de Vergilio ageremus, haud semel memoravimus. Qui Fori Iulii, in Gallia Narbonensi, anno LXIX humili loco ortus, Augusti praesertim gratia, quem condiscipulum habuit, ad altiorem gradum proventus, cum Octaviani partes adversus Antonium secutus esset, Aegypto anno XXX praefectus est. Sed haud ita multo post, cum, superbia elatus, multas sibi statuas erexisset et molliter mollium Orientis solis populorum more vivere consuevisset, in Octaviani offensam ita cecidit, ut, ambitus et lesae maiestatis apud patres accusatus exilioque multatus, cum ignominiam ferre non posset, sua se manu interfecerit.<sup>1</sup> Huic viro quam vehementer Vergilius studie-

1. Tum, ut supra diximus, Vergillum tradunt Georgicon libri IV finem mutavisse, videlicet ne Octaviano displiceret.

rit quasque operum suorum partes scripserit cum supra iam memoraverim, hic omittam. Ille, si Servio<sup>1</sup> credimus, «Euphorionem (qui praeclarus fuit Alexandrinus poeta) transtulit in Latinum sermonem et amorum suorum de Cytheride scripsit libros quattuor». Cytheris autem falsum nomen Volumniae, cuiusdam mimae eiusdemque parum pudicae libertae, fuit, quam ille in elegis Licoridem appellavit; haec, qua animi volubilitate ac levitate fuit, quemadmodum Brutum antea et Antonium, quos amaverat, ita Gallum postea, ut militem quemdam trans Alpes sequeretur,<sup>2</sup> in dolore ac maerore deseruit.

Corneli Galli nihil exstat; sed multis ex indiciis arguere licet eius elegos doctos fuisse neque multum ab Alexandrinis dissimiles eosdemque amoris ardore incensos atque vehementes. Sunt autem qui in X Vergili ecloga Galli ipsius sententias ac fere verba audire videantur; an merito, incertum est. Illud satis constat Gallum Vergilio, Propertio, Ovidio valde probatum fuisse.

### Albius Tibullus.

Pauca de Albio Tibullo comperta habemus. Nam anno fere LIV equestri ac diviti familia in Latio natus, deinde ob illam agrorum distributionem veteranis factam praediis suis spoliatus, mox horum praediorum partem aliquam rursus accepit auctore M. Valerio Messalla Corvino, cuius amicitia ac gratia semper postea usus est. Hunc ille, in Aquitaniam primo, deinde in Orientis solis partes belli causa profectum quamvis belli haud amans in cohorte amicorum quam appellant, est secutus, ita tamen, ut in hac expeditione morbo correptus, Corcyrae aliquamdiu manserit, unde haud multo post Romam regressus, vita decessit eodem anno, ut videtur, quo Vergilius (XIX a. Ch. n.), id quod ex hoc Domiti Marsi poetae epigrammate arguere licet:

Te quoque Vergilio comitem non aequa, Tibulle,  
mors iuvenem campos misit ad Elysios.

1. Ad Ecl. X, 1.

2. Ecl. X.



Adde quod Horati amicus fuit, qui Carmen XXXIII libri I et epistolam IV prioris libri ei scripsit: hanc epistolam si legeris, Tibulli vitae genus atque indolem profecto perspicias, ipsumque divitem, bonum scriptorum iudicem, pulcrum ruris atque oti amantem, sed ad animi maestitiam sua ipsius natura propensum et parum in amoribus felicem.

Cuius quattuor in alteris manuscriptis, in alteris tres elegiarum libri ad nos pervenerunt; quos non omnes Tibullo tribuere licet. Nam liber tertius<sup>1</sup> nomine inscriptus est Lygdami cuiusdam, qui se anno XLIII vel XLII natum dicit: sex continet elegias, de Nera puella, quam hic poeta amavit. Nec liber quartus Tibullo totus tribui potest: nam *Panegyricum Messallae* — primum huius libri carmen plus ducentos hexametros complectens — nemo a Tibullo scriptum esse credit; de undecim vero elegiis, quae sequuntur quaeque de amoribus sunt Sulpiciae cuiusdam et Cerinthi, ii qui intellegunt varie iudicant; neque de reliquis eadem sententia utuntur.

At priores duos libros nemo dubitat quin Tibullus scripserit. Hinc poetica illius virtus, hinc eius amores, hinc animus manifestus apparet. Quorum in priore Deliam ille canit, cui Apuleius<sup>2</sup> verum nomen Planiam fuisse auctor est; quae, cum parum fida puella esset variisque exardesceret amoribus, Tibullum saepe ad animi dolorem atque maestitiam impulit.

In altero libro Nemesis quaedam semper fere canitur, haud minus volubilis puella et pecuniae magis quam amoris ac laudis cupida. Neque vero amores Tibullum semper cecinisse credas, sed praesertim amores; in quo si molliorem animum ostendit, non tam voluptatis illecebras quam dilectionis sensus animique, ut ita dicam, magis quam corporis voluptates in amoribus quaerere videtur.

Versus autem et orationis genus simplici quadam elegantia cum a nimia illa Alexandrinorum doctrina, tum a rudi veterum poetarum asperitate procul absunt. Bonum igitur poetam hunc merito dicas. Quem Quintilianus ni-

1. Perspicuitatis causa divisionem illam in quattuor libros, magis vulgatam, hic sequomur.

2. Apol. X.

tido quodam candore laudavit ceterisque huius generis poetis ob elegantiam versus atque orationis praeposuit. Eum Ovidius cultum honoremque elegiae dixit.

### Sextus Aurelius Propertius.

Sunt tamen qui Tibullo Propertium praeferant.<sup>1</sup> Qui in Umbria<sup>2</sup> anno ferme XLIX natus, cum admodum puer patrem amisisset parteque praediorum anno XLI ob illam, quam supra diximus, agrorum distributionem privatus esset, Romam a matre, ut oratoribus forique studiis operam daret, ductus est. Ille vero, spiritu quodam poetico impulsus ac Musis, ut ita dicam, propensus, poeticam colere iam a pueritia non dubitavit. Deinde in numerum Maecenatis amicorum acceptus, praesertim Vergilio familiariter usus est, cuius Aeneidi immortalitatem praedixit. Horati vero ne nomen quidem in suis operibus memoravit neque Horatius illius. Qua re sunt qui hos poetas inter se odisse adfirmare non dubitent. Hostiam quandam ut Apuleius tradit (Apol. 10) amavit, Hosti poetae, ut videtur, filiam, quam ipse in versibus Cynthiam appellavit, puellam doctam sane, sed et ipsam volubilem instabilemque. Hinc magni Propertio animi cruciatus plurimique versus, doloris ac maeroris pleni. Neque diu vixit; nam anno XV a. Ch. n. acerba morte correptus est, XXXIV vitae annum agens.

Propertius libros quattuor<sup>3</sup> scripsit qui omnes exstant. Quorum primus, quem Martialis<sup>4</sup> *μονοβιβλον* appellavit — nam, ut videtur, a ceteris disiunctus edi solebat — et XXII elegias complectitur et anno XXVIII editus est. Secundus XXXIV elegias, tertius XXV, quartus XIV continet. Cynthiae amore atque nomine praesertim duo illi priores redundant. In tertio elegia XVIII maxime est

1. Quin etiam iam Tiberi Caesaris temporibus Velleius Paterculus, haud infimus rerum scriptor bonarumque litterarum iudex, scripsit se dubitare Tibullo an Propertio in elegis palman tribueret.

2. Iam vero post tot tantasque doctorum hominum dissertationes affirmare quis dubitet cum Asisii natum esse?

3. At totum Propertii corpus Lachmann vir doctus argumento quodam nusus, quod nunc vero il qui intellegunt haud magni momenti esse consent, in quinque libros descripsit.

4. Lib. XIV, 189.

memoria digna, quae lugubre quoddam carmen est de Marcelli iunioris morte; neque vero varii animi sensus desunt, quibus ipse ob infelicem illum Cynthiae amorem agitatus est et cruciatus. In quarto denique libro, qui inter annum XVI et XV, extremum eius vitae annum, compositus est, sex illae elegiae sunt, quas *Romanas* appellant; in quibus Callimachi, maximi Alexandrinorum poetae, quem ille praesertim secutus est, a cuius nomine se *Romanum Callimachum* appellari voluit, singulare illud poema, quod αἴτια vel «causae» inscriptum fuit, novo consilio imitatus est. Hic liber autem lamentatione de Corneliae morte clauditur, quam solent «reginam elegiarum» appellare; in qua Corneliam ipsam, Scipionis filiam eandemque Pauli Aemili uxorem, mortuam apud suos loquentem inducit, ut eos consoletur et ad virtutem impellat.

Nunc pauca dicamus ad eius poeticae genus significandum. Huius duae sunt praecipuae notae: vehemens amoris ardor, quo ille elegos ut ita dicam incendit, et singularis quaedam ac fortasse nimia doctrinae ostentatio, qua nonnullis videtur se delectavisse, hac in re praecipue Alexandrinos secutus. Quamquam non desunt qui illud defendant, quae Propertius cecinerit, ea non tam obscura et abstrusa esse, quam iis videri, qui parum sint docti; illum vero res sibi notissimas nulla difficultate nec nimio labore scripsisse.

### P. Ovidius Naso.

Ipsse se et Sulmone et equestri loco et anno XLIII a. Ch. n. ortum esse memorat;<sup>1</sup> quin etiam alia multa de se addit, ex quibus accepimus et fratrem ei fuisse anno maiorem natu, et ipsum usque a pueritia ad rhetoricae studia impulsu esse a patre; sed quamvis conaretur scribere «verba soluta modis» tamen, ut ipsius sententiam referam,

sponte sua carmen numeros veniebat ad aptos  
et quod temptabat dicere versus erat.<sup>2</sup>

1. Trist. IV, 10. Etiam diem natalem ipse suum tradit, qui fuit a. d. XIII Kal. Aprilis.

2. Trist. IV, 10, 28-29.

Sumpta autem toga virili, cum ad « tenerae primos aetatis honores » accessisset, ad maiora rei publicae munera pergere noluit; ei enim « nec patiens corpus nec mens fuit apta labori », ut ipse ait, « sollicitaeque fugax ambitionis » erat.

Itaque et otio se delectavit et poetas illius aetatis « coluit fovitque » in quibus non solum Propertium et Tibullum et Horatium, sed etiam Macrum<sup>1</sup> et Ponticum<sup>2</sup> et Bassum et Gallum memorat. Sua carmina « iuvenilia » ipse testatur se iam tum populo legisse cum « barba resecta sibi bisve semelve » fuisset; praeterea multa scripsisse sed ea quae « vitiosa » putavisset, « emendaturis ignibus » ipsum dedisse. Addit « cor » sibi fuisse « molle Cupidineis nec inexpugnabile telis »; neque tamen in amoribus ita se gessisse, ut sibi male diceretur aut in malam veniret famam: tres praeterea habuisse uxores; quarum ultimam aperte laudat, quippe quae fidem adversis quoque rebus servaverit. Neque enim Ovidius usque ad extremam aetatem felix beatusque vixit. Nam exunte anno VIII p. Ch. n., cum iam illi

... canities, pulsus melioribus annis,  
venerat antiquas miscueratque comas,

Augustus subito iussit eum Roma, nulla interposita mora, noctu, proficisci et Tomos, in oppidum apud mare Euxinum positum, contendere. Cuius relegationis causam multi quidem grammatici quaesiverunt, nemo tamen satis idoneam invenit. Quamquam enim Ovidius duas esse suae calamitatis causas affirmat — carmen et errorem<sup>3</sup> — iis tamen verbis utitur, ut obscura res esse videatur.<sup>4</sup> Nam quod ad carmina attinet, eorum licentia atque lascivia

1. *Aemilius Macer* Veronensis, quem anno XVI a. Ch. n. decessisse constat, poemata quaedam scripsit ad docendum apta, ut *Ornithogoniam* de avibus, ut *Theriaca* de serpentibus venenatis, ut denique *De herbis*, Nicandrum alexandrinum poetam potissimum secutus.

2. *Ponticus* epico quodam poemate, quod Thebais inscriptum fuit, *Bassus* iambis, clari illis quidem temporibus fuerunt.

3. *Trist.* II, 1, 207 sqq. « Carmen et error ».

4. Sunt qui dubitent an Ovidius vel adfuerit vel favorit Iuliae, Augusti neptis, et Siliani adulterio, ob eamque rem Augustus timuerit ne poeta ille rem silendam evulgaret. Utcumque res se habent, satis constat Iuliam eodem anno relegatam esse.

potius species causae quam vera causa videtur relegationis fuisse, praesertim cum « Ars amatoria », quod est omnium eius operum maxime licentiae crimini obnoxium, decem annis ante editum fuerit: error vero qui fuerit, ille praeterit; quin etiam elegiam illam, qua eius tota fere vita continetur, his versibus concludit;

Causa meae cunctis nimium quoque nota ruinae  
indicio non est testificanda meo.

Profecto noluit ille quidem « laesi principis iram » incendere; quod fortasse se facturum esse sensit, si quid dixisset de nescio quo flagitio ab Augusti familiaribus admisso.

Tomis Ovidius, quamquam multa temptavit ut veniam consequeretur et Romam rediret, extremae aetatis annos usque ad mortem egit. Frustra ille principis animum versibus ac precibus movere conatus est, frustra fidelissimae uxori ut Romae maneret persuasit, spe impulsus fore ut reditum sibi impetraret; frustra a Tiberio Caesare, qui Augusto successit, petivit ut a miserrima illa relegatione se revocaret: Tomis, in barbarorum gelida regione, qui tamen ei faverunt ac benevoli fuerunt, de vita decessit anno XVII p. Ch. n.

Cuius opera in tres ipsius vitae aetates ita distribui solent, ut et iuvenilia et iam firmatae aetatis et relegationis perhibeantur. Inventuti igitur praeter tragoediam, quae *Medea*<sup>1</sup> inscripta fuit, cuius duo versus exstant, haec opera sunt attribuenda: AMORES, HEROIDES, MEDICAMINA FACIEI, ARS AMATORIA, REMEDIA AMORIS, quae omnia elegis scripta sunt. Firmata autem aetate METAMORPHOSEON libros XV et FASTORUM libros VI composuit; extremo denique vitae spatio, quod Tomis egit, praeter opusculum quod IBIS<sup>2</sup> inscribitur, quo, Callimachum imitatus, in inimicum ignotum nobis vehementissime invectus est, et breve illud poema de piscibus, quod Graece HALIEUTICA<sup>3</sup>

1. Hanc Quintilianus (X, 1, 98) his verbis laudavit: « Ovidii Medea videtur mihi ostendere, quantum ille vir praestare potuerit, si ingenio suo imponere quam indulgere maluisset ».

2. CCCXXI distichos complectitur. Satis autem constat Callimachum vehementissimam suam in Apollonium obliigationem eodem nomine inscripsisse, quod est avis cuiusdam serpentibus infestae.

3. Hoc CXXXIV hexametri continentur.

inscripsit inchoatumque reliquit, duo praesertim opera, et ipsa elegis, scripsit, TRISTIA et EPISTULAS EX PONTO. Nunc vero his omnibus de operibus, quae quidem magis sint memoria digna, singillatim pauca dicamus.

AMORES Ovidius primo in quinque, deinde in tres libros ipse descripsit. In quibus praesertim mulierem quandam, falso nomine Corinnam,<sup>1</sup> suosque in eam amores ita *cantavit*, ut animi sensus et casus, non tam veros, sed fictos versibus elegantissimis ornavisse videatur, et Corinna illa non mulier vera sed muliebrium amorum tamquam imago quaedam appareat. Adde quod ille res parum honestas et ipsa flagitia modo ea verborum elegantia vestit, ut virtutem fere irridere videatur, modo tam aperte significat, ut eum dicas ad sordes non dubitavisse descendere.

Opere quod HEROIDES inscribitur XXI epistulae continentur, ex quibus XV priores ille finxit a praecclarissimis fabularum feminis ad amicos vel maritos, ut a Penelope ad Ulixem, ut a Phaedra ad Hippolytum, ut ab Aenea ad Didonem, missas; sex alteras vero ita composuit, ut feminarum amantium epistulis suis cuiusque amicus responderet; itaque Helenae Paris, Heroni Leander, Cydippae denique Acontius respondet. Haec operis pars non desunt qui dubitent an non ab Ovidio composita sit: recentiores vero grammatici, et quidem doctissimi, dubitari posse negant. Illud dignum est quod animadvertas, hoc in opere Ovidium feminas illas antiquae fabulae earumque animi sensus ita effinxisse, ut Augusti aetatis mulieribus proximae sint. Itaque easdem fere res, easdem sententias, quas in Amoribus, hic quoque, veterum fabularum nominibus, eum protulisse iure dixeris: quodsi epistulae amatoriae genus, ut ipse iactatur, *novavit*,<sup>2</sup> materiam suorum carminum non novavit, quin etiam nonnumquam putidiorum quadam doctrinae ostentatione oneravit.

Ex opere quod MEDICAMINA FACIEI inscribitur centum exstant versus; nec plures videtur ille composuisse. Qui-

1. Trist. IV, 10, 59-60: «... totam cantata per Urbem — nomine non vero dicta Corinna mihi».

2. Ars Am. III, 346: «Ignotum hoc aliis ille novavit opus». Hoc enim de se aliquem dicentem inducit.

bus, suae aetatis elegantia et cultu laudatis, mulieres docet artem faciei medicandae, quo pulchriores appareant.

Maioris quidem momenti est *ARS AMATORIA*, neque tamen maiore laude digna, si ad mores respicias. Quamquam enim eadem fere materia quae superioribus operibus pertractatur, iidem fere animi motus, eadem levitas amorumque licentia, in hoc tamen opere, quod Ovidi ingenio suā ipsius naturā aptius respondet, plus veritatis invenias. Quodsi etiam hoc in opere elegos Ovidius adhibuit, epici poematis ad docendum apti speciem quandam affectavit. Ille enim duobus prioribus libris viros docet, quibus artibus mulieres ad amores allici possint, tertio autem mulieribus viam ostendit, qua viros inducant ut amoris ardore incendantur, ita tamen ut Romanorum illius aetatis vitia et flagitia non tam augere et excitare docendo videatur, quam consueta et indicare et ostendere, leviter irridendo atque urbane ludendo. Equidem ego non infitior totum fere opus mira quadam dicendi elegantia nitēre, sed facere non possum quin vehementer dolcam tantos lepores, tantam artem, tantam ingeni vim in tam obsoletis sordibus depingendis esse profusam. Hanc materiae turpitudinem Ovidius ipse videtur quidem animadvertisse, sed eadem illa animi levitate ingenique lascivia usus, qua omnia fere ante relegationem tractavit, quasi vellet malis illis *Artis amatoriae* praeceptis aliquid boni opponere, *REMEDIA AMORIS* composuit; quo in opere, quamquam nonnullas sententias profert honestas et adulescentes nonnumquam sapienter monet ut amoris ardores in ipso ortu coerceant, saepius tamen improba illa *Artis amatoriae* praecepta iterare et augere non dubitat. Quid mirum igitur, si Augustus, cum vellet Ovidium ab Urbe relegare, haec poemata est causatus, quippe quibus illa morum corruptio aucta esset, quam ille omnibus viribus coercere contenderet?

Ut vero ad opera veniamus, quae iam firmatae aetatis supra diximus, *METAMORPHOSEON* libri omnes fere fabulas versibus narrant quae formae aliqua mutatione concludantur, ab informi illa primigenia omnium elementorum confusa congerie, cui nomen Chaos inditum est, usque ad Iulium Caesarem mutatum in astrum: ingentem sane materiam ac

maxime variam, quam, etsi a Graecis quibusdam poetis, ut a Nicandro Colophonio,<sup>1</sup> ut a Parthenio, ut ab Antigono, iam aliqua quidem ex parte tractatam invenit, tamen sui profecto ingeni tamquam peculiaribus notis impressit, ut, quamvis opera illa Graecorum poetarum perierint, suus ille quidem plane esse videatur. Hoc opus ad epici poematis formam nullum est dubium quin propius accedat; quamquam eo laborat, ut ita dicam, quod tot tantisque fabulis cum compositum sit, nec simplex nec unum esse potest. Quod ille vitium egregio ac miro artificio minuere contendit, vel fabulas aliqua inter se similitudine coniunctas componendo, vel alios ita narrantes inducendo, ut plures singuli narrationes persequantur. Alia quidem insunt vitia — nam et singulas sententias etiam hic saepius Ovidius iterare ac verbis augere solet, quam amplificationem appellant, et novis quibusdam inauditisque sive imaginibus sive verbis delectatur, quae sano quidem iudicio probari non possint, et morum licentiam atque animi levitatem hic quoque ostendit — sed etiam egregiae poetae virtutes magis fortasse hic quam ceteris in operibus fulgere mihi quidem videntur. Multi igitur sunt loci memoria et laude digni, quos si memorare velim, tempus me deficiat; Nioben<sup>2</sup> tamen illam, propter miram quamdam superbiam a Latonae liberis saevissima poena affectam — omnibus enim et filiis et filiabus, quos quattuordecim habebat, intra paucas horas crudeli ac repentino fato orbata fuit « deriguitque malis », in saxum mutata — aut Philemona et Baucida,<sup>3</sup> humiles honestosque coniuges eosdemque benignos deorum hospites, miro quodam a diis praemio donatos; aut Orphea eiusque casus et cantus et ipsam crudelissimam necem;<sup>4</sup> hos quidem locos silentio praetermittere qui possum?

1. Hunc Probus (ad Georg. I, 399) potissimum tamquam Ovidi operis fontem fuisse testatur. Hic, enim Ἐτροιόμην, Parthenius vero Μετρίμ φώσεις, Antigonus denique Ἀλλοιώσεις scripserunt. Nonnulla autem Ovidius profecto etiam a Callimachi libris sumpsit, qui ἀΐτια inscripti fuerunt, nonnulla apud Catullum, Calvum, Vergilium invenit.

2. VI, 165-312.

3. VIII, 626-720.

4. Vido totum librum IX et libri XI, versus 1-84.



Neque tamen hos omnium pulcherrimos locos esse defendo; multi enim alii sunt, quos magna cum animi delectatione legas, praesertim cum ille, quae est eius vena ingeni, miram quandam imaginum et verborum inducat varietatem, neque tantum formarum mutationes summo artificio exprimat, sed etiam animi sensus maxime varios explicet atque ostendat.<sup>1</sup>

Alterum aetatis illius iam firmatae opus FASTOS diximus; quod Ovidius idcirco inchoatum reliquit, quod ei, Roma decedere coacto, tam doctum opus absolvere neque animus fuit neque licuit, quippe qui et maxima animi aegritudine afflictus esset, neque ullas Tomis, barbaro in oppidulo, bibliothecas adire posset. Cuius operis, quod duodecim libros complexurum fuit, sex libri ad nos pervenerunt, quibus Romanorum fasti, ab Ianuario mense ad Iunium, ita illustrantur ut sex priores anni menses suo quisque libro contineantur. Quamquam vero «sacra canit signataque tempora fastis», materiem sane gravem, elegis tamen utitur, neque levitatem animi illam plane omittit, quam superioribus operibus ostenderat. Quod ipse quodammodo fateatur.<sup>2</sup> Idem multa quidem a Verrio Flacco,<sup>3</sup> doctissimo grammatico, multa a T. Livio, multa a Terentio Varrone profecto sumpsit; omnia tamen ita digessit ac suis ipsius, ut ita dicam, coloribus pinxit, omnia suo illo ingeni lumine ita illustravit, ut ipse per se invenisse videatur. Quodsi doctum hoc poeticae genus iam Propertius in illis Romanis, quas appellant, elegiis passim prosecutus erat, et apud Graecos, plurimis annis ante Propertium, cum alii, tum Callimachus, ut supra diximus, quattuor illis elegiarum libris tractaverat, qui αἰτίαι, idest «Causae» inscripti fuerunt, magna tamen est Ovidi laus.

Restat ut pauca dicam de duobus<sup>4</sup> illis operibus quae

1. Satis inter omnes constat Ovidium illa tristissima nocte, qua iussus est Roma discedere, repentino furore incensum, Metamorphoseon libros, quos apud se habuerit, flammis dolevisse, quod Augusti laude concluderentur; tamen quosdam eius amicos opus, cum iam descripsissent, servare potuisse.

2. Fast. II, 3 seqq.

3. Cuius haec opera sunt memoria digna: *De verborum significato*, *De Orthographia*, *De priscis verbis Catonis*.

4. Neque enim magni refert de elogia quadam — Nur inscribitur — disserere, quam multi Ovidio indignam iam iudicaverunt, recentiore autem

Tomis<sup>1</sup> composuit. Quorum alterum, TRISTIA, quinque, alterum, EPISTULAE EX PONTO, quattuor elegiarum libros complectitur. In utroque opere eandem fore aegritudinem animi, easdem preces, eosdem gemitus invenias: ille enim uxoris, amicorum, Urbis eiusque deliciarum desiderium haud fertiter tulit, neque frigora, nives, horridam vivendi rationem pati unquam assuevit. Quid mirum, si, ut ipse fatetur, *molle habuit cor*? Neque tamen, opinor, ad tantas preces obtestationesque descendisset, nisi usque ad extremum vitae tempus speravisset, se Romam revocari posse: quae spes tum maxime animo eius affulsit, cum Augusto mortuo Tiberius in summum imperium successit.<sup>2</sup> Quodsi sibi persuasum habuisset, se numquam veniam impetraturum esse, haud scio an maiorem servaturus fuerit gravitatem, id quod aliis contigit.<sup>3</sup>

*Tristium* liber secundus maxime mentione dignus mihi quidem videtur, qui nonnisi unam elegiam, sed longam — DLXXVIII versus sunt — ad Octavianum Caesarem continet; in qua Principem modo docet alios poetas obscena scripsisse neque tamen exilio aut relegatione multatos esse, modo laudat, quod mitis in se ille fuerit, cum se relegatione et non exilio multaverit, modo rogat atque obsecrat ut sibi veniam largiatur.

*Epistularum* denique liber quartus post mortem Ovidi editus est neque alias sententias continet ac superiores libri.

Ceterum Ovidi operibus aurea illa Augusti aetas concluditur, quae maximos poetas complectitur. Neque vero ii tantum eis temporibus vixerunt, quos supra nominavi-

---

aetate non desunt qui dubitent an Ovidi sit opus. Adde quod etiam poema quoddam de astris (*Phaenomena*) scripsit, cuius Lactantius (Div. inst. II, 5) tres, Probus (ad Verg. Georg. I, 138) duos versus tradunt. Praeterea quaedam alla Ovidio attributa fuerunt, quae longum est vel recensere.

1. Primus tamen *Tristium* liber in itinere videtur scriptus esse.

2. Nonnihil etiam a Germanico Caesare speravit, ad quem Fastos misit, quos primum « sub nomine » Octaviani, ut ipse dicit, scribere instituerat.

3. Ut Lucano. Cuius vitam suo loco paucis narrabimus.

mus; fuerunt et alii, quorum famae maximi illi suo splendore, ut ita dicam, offecerunt; quamquam nonnumquam eorum nomina in suis carminibus tradiderunt. Adde quod ex eorum operibus nihil aut perpauci versus exstant. Hic tamen, qui maxime ex iis mentione digni videntur, eos recensebimus.

Itaque L. VARIUS RUFUS, qui vixit ab anno LXXIV ad XIV a. Ch. n., Octaviani Augusti, Maecenatis, Vergili amicus, et poema *De morte Caesaris* et *Augusti panegyricum* et plures tragoedias scripsit, ex quibus THYESTES magnam famam et pecuniam ei comparavit.

O. VALGIUS RUFUS, consul anno XII a. Ch. n., Horati amicus, elegias et epigrammata composuit.

Horati amici fuerunt etiam SER. SULPICIUS, elegiae cultor, FUNDANIUS comicus, TITIUS lyricus, IULLUS ANTONIUS, epicus poeta.

Praeterea DOMITIUS MARSUS et elegias et epicum poema, *Amazonida*, composuit: MELISSUS trabeatas scripsit; ALBINOVANUS PEDO praeter *Theseida* et Romanas res recentiores cecinit et quaedam epigrammata edidit; Romanas res etiam CORNELIUS SEVERUS et RABIRIUS epice tractaverunt. SABINUS, quas supra vidimus Ovidi Heroides, illis responsa scripsit. TUTICANUS Odysseam Latine vertit.

AEMILIUM MACRUM et PONTICUM iam supra memoravimus.

GRATTI FALISCI denique ex *Cynegeticis* DXLI hexametri exstant, in quibus multa invenias de Vergili fonte, ut ita dicam, deducta.

### Titus Livius.

Ut vero ad eos veniamus qui prosa oratione usi sunt, primum T. LIVIUM, non temporis ordine, sed auctoritate et pondere invenimus. Qui Patavii anno LIX nobili loco natus, rhetoricae primum et philosophiae operam dedit, quin etiam — ut Seneca philosophus tradit (Epist. XVI, 5) —

« scripsit et dialogos, quos non magis philosophiae adnumerare possis quam historiae et ex professo philosophiam continentes ». Quo in studio tantum ille profecisse visus est, ut idem Seneca Livio in philosophia Ciceronem et Asinium Pollionem tantum praeponeudos censeat.

At opus illud ingens, quo maximam sibi famam comparavit, ANNALIUM dico vel AB URBE CONDITA libros, XXXV ferme annos natus scribere coepit: quem laborem amplius quadraginta per annos sustinuit ad extremam usque senectutem, donec morte anno XVII p. Ch. n. Patavii correptus est. Ad rem publicam non accessit, quippe qui litterarum studiis assidue vacaret; neque tamen nulli civium parti, animo quidem, si non opera, favit; satis enim constat eum principatui novisque rebus adversum fuisse, quin etiam Tacitus Cremutium Cordum<sup>1</sup> haec dicentem inducit: « T. Livius, eloquentiae ac fidei praeclarus in primis, Cn. Pompeium tantis laudibus tulit, ut Pompeianum<sup>2</sup> eum Augustus appellaret ».<sup>3</sup> Id tamen Augusti et Livi amicitiae non nocuisse idem eodem loco testatur. Ceterum veterum Romanorum et civilem libertatem et virtutes et res fortiter gestas quantopere admiratus sit ac desideraverit, cum ex eius Annalium multis locis, tum ex illa totius operis praefatione manifesto apparet, quam totam diligentissime legere operae pretium est. Tanti autem laboris, quem sumpsit, hoc quoque praemium se petere ipse dicit, ut se « a conspectu malorum quae *sua* tot per annos vidit aetas, tantisper, dum prisca illa mente repetit, avertat, omnis expers curae, quae scribentis animum, etsi non flectere a vero, sollicitum tamen efficere posset ». Praeterea ad mores in primis eum spectavisse, ex eadem praefatione colligitur; nam « ad illa — inquit — mihi pro se quisque acriter intendat animum, quae vita, qui mores fuerint, per quos viros quibusque artibus domi militiaeque et partum et auctum imperium sit; labente deinde paulatim disciplina, velut desidentes primo mores sequatur animo, deinde ut magis magisque lapsi sint, tum ire coe-

1. Hic rerum scriptor Tiberii aetate damnatus est, quod Brutum et Cassium laudavisset. Vide infra.

2. I. e. liberae rei publicae fautorem.

3. Tac. Ann. IV, 34.

perint praecipites, donec ad haec tempora (i. e. Augusti aetatem), quibus nec vitia nostra nec remedia pati possumus, perventum est ». Quem locum hic idcirco libenter retuli, quod illud praeter cetera satis ostendit, Livi mentem non tam bona externa, quae appellant, ut divitias et opes, ut marmorea aedificia, ut urbis ornamenta et splendorem, neque auctam Romanorum vel potius Principis potentiam admirari, id quod summos illius aetatis poetas saepe solitos esse facere videmus, quam civium mores penitus inspicere et vitia magno cum animi dolore reprehendere. Itaque, si Livium legas, alteram profecto Augusti aetatis, ut ita dicam, faciem conspicias. Neque vero aliter historiam sensit ac Thucydides et Cicero et alii; neque enim videtur dubitavisse quin *magistra vitae esset*.

Nunc vero, ut ad opus ipsum veniamus, satis constat Livium CXLII libros scripsisse, quibus res Romani populi ab Aeneae in Latium adventu narravit usque ad annum IX a. Ch. n.,<sup>1</sup> quo Drusus, Liviae filius idemque Tiberi frater, in Germania mortuus est. « Neque tamen credibile est — inquit Wilh. Weisseborn,<sup>2</sup> doctissimus vir — ipsum (Livium) constituisse sibi hunc terminum quem egredi nollet. Nam Drusi exitus non tam notabilis tantive momenti erat, ut hoc fine opus amplissimum recte conclusum et absolutum haberi posset, et numerus voluminum denarius, quem Livius videtur secutus esse, non expleretur, si eo libro, qui ultimus fuit, opus terminare voluisset ». Idem addit se nescire an « CL volumina expleturus et usque ad Augusti finem, a quo etiam Tacitus, quasi novae aetatis, initium facit, historiam continuaturus fuerit, nisi aut morte aut morbo... librum centesimum quadragesimum alterum excedere prohibitus esset ».

Utcumque res se habet ex illis libris CXLII, quos satis constat eum scripsisse, vix XXXV exstant i. e. primi X, deinde a XXI usque ad XLV; ex quibus l. XLI et l. XLIII sunt lacunosi. Ceterorum librorum, qui perierunt, *Perio-*

1. Est qui dubitet, verbis extremis ultimae periochae nisus, an Livius narrationem perduxerit ad annum IX p. Ch. n., quo Drusi corpus « Romam pervectum et in tumulo C. Iuli reconditum » fuit.

2. Vide eius praefationem ad T. Livi libros, Lipsiae in aed. Teubneri editos pag. XIII.

*chae*, id est brevissima quaedam summaria, ad nos pervenerunt, si tamen librum CXXXVI et CXXXVII excipias; ex quibus periochis colligere licet qua ratione Livius res distribuorit atque tractaverit. Exstant autem praeter alia, quae parvi momenti sunt, duo loci, quorum alterum apud Senecam rhetorem, quem appellant, legimus de Ciceronis nece, alter particulam continet libri XCI et ad bellum pertinet cum Sertorio in Hispania gestum. Quibus vero de causis tam multi libri perierint parum constat; tamen non ante DC annum p. Ch. n., et hominum negligentia magis quam voluntate, perisse videntur.

Ceterum multa sunt quibus inpellimur ut censeamus T. Livium suum opus non totum una editione, sed per decades vel, ut quibusdam videtur, per pentades edidisse. Quodsi ita se habet, non est mirum, si tres decades et dimidia ad nos pervenerunt. Quarum prima ab ipsis Romani populi originibus usque ad annum CCXCIII a. Ch. n., quo finis bello Samnitico secundo impositus est; reliqui vero libri ab anno CCXVIII usque ad annum CLXVII, quo Paulus Aemilius triumphum egit, res comprehendunt. Hinc quoque igitur, sed melius e Periochis, apparet Livium non eodem librorum numero eundem numerum annorum comprehendisse, sed quo propius ad suam ipsius aetatem appropinquaverit, eo magis in rebus narrandis atque explicandis moratum esse, nec immerito; nam ab obscuris rebus ac maxime incertis ad verisimiliora et vera procedebat ac maiore auctorum copia niti ac frui poterat. Adde quod postremis libris eam aetatem complexus est, qua plurimae singulis annis res gestae sunt ac magni momenti, quippe quibus aequalium animi vehementius commoverentur.<sup>1</sup>

Cum autem ab Aeneae in Italiam adventu initium caperet, non ignoravit antiqua illa fabulis quam historiae esse propiora. Ipse enim in prooemio « Quae — inquit — ante conditam condendamve urbem poeticis magis decora fabulis quam incorruptis rerum gestarum monumen-

1. Libri decem primi quadringentos sexaginta ferme, libri a XXI ad XLV quinquaginta unum, reliqui vero, septem et nonaginta libri, centum fere sexaginta annos comprehendunt.

tis traduntur, ea nec adfirmare nec refellere in animo est ». Haec ut narraret, multa profecto ab antiquis poetis hausit, ut ab Ennio, ut a Naevio, ut ab Accio. Sed etiam eorum quae sequuntur, quaedam non omnino fide digna esse ipse queritur,<sup>1</sup> et memoriam funebribus laudibus dolet esse vitiatam, nec ullum scriptorem temporibus illis aequalem exstare. Postea vero, cum *Annales maximos* inspicere potuit, tum superiores Annalium scriptores adhibuit, aliosque auctores qui Latine vel Graece scripserant. Nam « omnis — inquit — ante me auctores secutus »<sup>2</sup> et « per omnium annalium monumenta »<sup>3</sup> et « ceteri Graeci et Latini auctores, quorum quidem legi annales... tradunt ».<sup>4</sup> Praeterea Q. Fabium Pictorem et L. Cincium Alimentum et C. Acilium Glabrimonem et L. Calpurnium Pisonem et L. Caelium Antipatrum et Claudium Quadrigarium et Valerium Antiatem et alios saepius nominatim memorat. Adde scriptorum Graecorum ferè maximum, Polybium. Illud autem nobis quidem videtur reprehendendum esse, scriptoribus eum saepe non ita usum esse, ut rerum veritatem penitus perspectam traderet, sed ut narrationem maiore facundia ornaret, illam et Ciceronis et multorum veterum scriptorum opinionem secutus, qua historiam putabant esse « opus oratorium maxime » et « munus oratoris ». Quam ob rem non desunt qui Livi libros tamquam veterum Annales iudicent, sed Ciceronis genere dicendi et arte conscriptos.<sup>5</sup> Quod si nobis mirum quodammodo videtur esse, tamen Livio non est culpaetribuendum; neque vero potuit illis quidem temporibus historiam, sicut nos his temporibus, mente concipere. Itaque multas apud Livium pugnas invenias, non ita descriptas ut vere commissae et confectae fuerunt, sed potius oratoria facultate et poetico quodam impetu ita compositas, ut legentium animi mirum in modum delectari soleant. Neque tamen falsa veris consulto anteponit; quin etiam scriptorum

1. VII, 6, 6.

2. IV, 20, 5.

3. VII, 21, 6.

4. XXXII, 6, 8.

5. Vide R. Pichon, *Histoire de la litter. Lat.* Hachette 1921, pag. 313 et seq.

sententias inter se discrepantes modo, cum dubitet utram eligat, memoriae tradit ac refert; modo comparando et argumentando diligentius pensitat, ut eam defendat, quae veri similior esse videatur; modo arguit, modo refellit; sed ex Annalium scriptoribus eos ceteris fere anteponit, qui facundius scripserunt.

Praeterea multas in Livi opere orationes, luculentas sane et summis utique dignas oratoribus, maxima cum animi delectatione legimus: quas ille non tamquam vere habitas tradit, sed quo hominum, qui rebus interfuerunt, opiniones et animi motus vel suas ipsius sententias melius ostendat in unum colligendo, maioremque, ut ita dicam, impetum addat iis, quae homines inter se pugnancia egerunt. Quae omnia, quamvis multa insint passim ieiuna, ut longae modo magistratum, modo prodigiorum series atque ordines, tamen efficiunt ut Livi opus tamquam mirum quoddam epicum poema esse videatur. Ille enim populi Romani imperium tanta admiratione dignum animo sensit, ut res narrando rebus ipsis magis quam verbis, ut ita dicam, Romanorum virtutem, prudentiam, fortitudinem, pietatem, consilium, collaudaverit atque extulerit. Idem quidquid pulcri, iusti, magnifici, honesti, quidquid sapienti et probo homine dignum est, id populo omnium principi libens attribuit. Idem «et facere — inquit — et pati fortia Romanum est». Sed, ut supra diximus, non tam suam aetatem quam praeterita tempora suscipit ac laudibus celebrat, illa praesertim quibus primus Africanus bellum Punicum secundum fortiter gessit et confecit. Id enim Romanorum gloriae et virtutis summum tamquam culmen, ut ipsius verbo utar, fuisse censet; eam, non Augusti aetatem, auream videtur iudicare; eos civium magistratumque mores, eam rei publicae administrationem, eam libertatem desiderat. In quo illud animadvertere oportet, apud provinciarum incolas hoc temporum praeteritorum studium diutius servatum esse. Nec sine aliqua causa Augustus Pompeianum eum appellare solebat.

Haec igitur, quae hactenus dixi, si diligenter perpendaris, profecto non miraberis eos qui intellegunt quaedam in Livi opere reprehendisse. Nam eum nonnulla haud



vera tradidisse dicunt, sive quod res in populi Romani gloriam consulto detorsit, sive quod Annales et auctores saepius parum diligenter inspexerit, sive quod rerum seriem et magistratum annorumque ordinem nonnumquam neglexerit. Quae omnia, quamquam aliqua quidem ex parte vera sunt, non culpae tamen Livio sed temporibus tribuenda esse diximus. Illud haud iure mihi quidem queri videntur, eum religioni et prodigiis magis quam rerum scriptorem deceat indulgisse; neque enim cogitant, quae civium animos vehementer commovissent et turbavissent, ea Livium perperam omissurum vel in angustum coacturum fuisse. At eius dicendi genus et facultatem, mirum illum animi impetum ac fere poeticum afflatum, quamvis ad historiam parum pertinentem, nemo est quin laudibus celebret: quamquam nonnullas aliquando verborum comprehensiones invenimus nimis, ut ita dicam, sententiis coacervatas, ut in iis componendis nonnihil eum laboravisse dicas. Sed plurimi sunt loci omni laude digni, quippe quibus res ita narrentur, ut ii qui legunt rebus ipsis fere interesse videantur. Neque vero quisquam est, qui illud infitietur, Livi opus magnis laudibus dignum esse et ingens Latinarum litterarum monumentum exstare.

T. Livium Quintilianus et propter quandam « lacteam ubertatem »<sup>1</sup> laudat et Herodoto aequare non dubitat. Nam « nec indignetur — inquit — sibi Herodotus aequari T. Livium, cum in narrando mirae iucunditatis clarissimique candoris, tum in contionibus supra quam enarrari potest eloquentem: ita quae dicuntur omnia cum rebus, tum personis accomodata sunt: affectus quidem, praecipue eos, qui sunt dulciores, ut parcissime dicam, nemo historicorum commendavit magis. Ideoque immortalem Sallusti velocitatem diversis virtutibus consecutus est ».<sup>2</sup> Eundem Tacitus, ut supra memoravimus, « eloquentiae dixit ac fidei praeclarum in primis ».<sup>3</sup> At Asinius Pollio<sup>4</sup> eius reprehendit *patavinum* quendam; quae utrum fuerit peculiare quoddam Patavinorum Latini sermonis vitium (ut

1. X, 1, 32.

2. X, 1, 101.

3. An. IV, 34.

4. Vide paulo infra.

fortasse « quase » et « sibe » pro « quasi » et « sibi »), an eorum provincialium studium quoddam praeteritorum temporum et morum, parum constat. Ceterum haud ignoramus Asinium Pollionem bonarum litterarum et artium severiorem fuisse iudicem ac fere malevolum. Illud potius dignum fortasse est quod vel animadvertatur vel reprehendatur, Livium in prosa illa sua oratione poetica quaedam sparsisse et res atque sententias poetico quodam colore pinxisse. Hoc tamen non omnibus iis qui intellegunt vitium videtur esse, haud scio an optimo iure.

### Pompeius Trogus.

T. Livium in historia *Pompeius Trogus*<sup>1</sup> sequitur, cuius opus, quamquam Livi pondus non attigit magnum tamen fuit. Hic sub Augusti finem HISTORIARUM PHILIPPICARUM libros XLIV edidit, qui omnes perierunt. Cum autem eorum Epitoma, quam M. quidam IUNIANUS IUSTINUS composuit — qui, ut videtur centum fere annis post Augusti obitum natus est — ad nos pervenerit, illius operis materiem, ut ita dicam, colligere licet. Itaque accepimus Pompeium Trogum Macedonum imperi res ita amplexum esse, ut narrationem ab antiquissimis Asiae regibus inciperet et Romanorum firmato imperio finiret; quin etiam quattuor postremis libris et Parthorum regnum et Romae Massiliaeque origines et Hispaniae res usque ad Celtiberos ab Octaviano Augusto domitos tradidit. Illud autem dignum est quod animadvertas: hunc rerum scriptorem res ita narravisse, ut Romanorum imperio atque laudibus alterius populi potentiam et gloriam opponere voluisse videatur, atque rerum seriem atque ordinem ea tamquam lege coerceri et regi credidisse, ut omnium fere populorum summa imperi modo apud hanc gentem esset, modo ad illam ac deinceps ad alias transferretur. Neque vero erras, si censeas P. Trogum Macedonumque laudes T. Livio Romanorumque gloriae opponi posse. Ceterum Trogum eiusque

1. Huius vitam fere totam ignoramus: satis tamen constat, eum in Gallia Narbonensi ortum esse, eiusque patrem atque avum Cn. Pompeio et Iulio Caesare ducibus pugnasse.

historias Iustinus Epitomae, quam supra dixi, in proe-  
mio ita laudibus celebrat: « ... Trogus Pompeius Graecas  
et totius historias orbis Latino sermone composuit, ut,  
cum nostra Graece, Graeca quoque nostra lingua legi pos-  
sent: prorsus rem magni et animi et corporis adgressus.  
Nam, cum plerisque auctoribus singulorum regum vel  
populorum res gestas scribentibus opus suum ardui labo-  
ris videatur, nonne nobis Pompeius Herculeae audacia or-  
bem terrarum adgressus videri debet, cuius libris omnium  
saeculorum, regum, nationum populorumque res gestae  
continentur? » Quibus verbis auxerit sane Iustinus Trogi  
eiusque operis virtutes, ut suam simul Epitomen commenda-  
ret; aliquid tamen veri in eiusmodi laudibus inest; quod  
ex ipsa Epitome arguere licet, quamquam Iustinus, ut  
ipse fatetur, non omnia refert; nam « ... cognitione — in-  
quit — quaeque dignissima excerpseri et omissis his, quae  
nec cognoscendi voluptate iucunda nec exemplo erant ne-  
cessaria, breve veluti florum corpusculum feci... ».

### De praecipuis vel oratoribus vel declamatoribus illius aetatis.

Dicendi artem de suo illo fastigio Augusti aetate iam  
labi et corrumpi coepisse supra diximus, ita tamen ut non  
pauciores sed multo plures oratoris nomen et laudem  
affectarent. In quibus duo exstiterunt mentione utique  
digni, P. ASINIUS POLLIO et M. VALERIUS MESSALLA. Quo-  
rum prior anno LXXV a. Ch. n. in lucem editus, magnam  
oratoris famam, quamquam Cicero tum maxime floruit,  
apud cives est consecutus. Quin etiam Quintilianus<sup>1</sup>  
« Multa — inquit — in Asinio Pollione inventio, summa  
diligentia, adeo ut quibusdam etiam nimia videatur, et  
consilii et animi satis; a nitore et iucunditate<sup>2</sup> Ciceronis  
ita longe abest, ut videri possit saeculo<sup>3</sup> prior ». Idem fere  
est Senecae philosophi iudicium, qui eum una cum Cice-  
rone et Livio in maximorum oratorum numero ponit. Adde

1. X, 1, 113.

2. Id est Italice « eleganza e piacevolezza ».

3. Cogita tamen quid « saeculum » vere significet.

quod Asinius Pollio et tragoedias historiasque scripsit et auctor fuit *declamationum*, ad quas mos invaluit delectos homines invitandi, qui audirent atque audita officiose probarent. Neque solum in bonis litteris elaboravit, sed etiam bonus fuit militiae dux et magnum in re publica locum tenuit.<sup>1</sup> Cuius ut laudes in unum tamquam collectas videas, lege Horati Carm. I libri II.

« At Messalla — pergit Quintilianus<sup>2</sup> — nitidus et candidus et quodam modo praeferens in dicendo nobilitatem suam, viribus minor ». Eundem et Cicero in eloquentia dixit mirabiliter excellere,<sup>3</sup> et is qui *Dialogum* scripsit *de oratoribus* Cicerone fuisse mitiorem et dulciorem et in verbis magis elaboratum.<sup>4</sup> Eum et alias orationes multas in Latinum sermonem convertisse et « etiam cum illa Hyperidis pro Phrine difficillima Romanis subtilitate » contendisse Quintilianus<sup>5</sup> testatur. De vita decessit anno VII p. Ch. n., septuagesimum tertium annum agens.

Hos secuti sunt alii non tam oratores quam declamatores, novo quodam eloquentiae genere usi, quod multis illius aetatis, ut Apro illi in *Dialogo de oratoribus*, placuit, multis vero displicuit, qui artem dicendi corruptam esse sunt questi, ut in eodem *Dialogo* legimus, in quo illud praesertim quaeritur, quibus de causis eloquentia ita sit immutata. Illic enim et alia et haec scripta invenias:<sup>6</sup> « Magna eloquentia sicut flamma materia alitur et motibus excitatur et urendo clarescit. Eadem ratio in nostra quoque civitate antiquorum eloquentiam provexit. Nam, etsi horum quoque temporum oratores ea consecuti sunt, quae composita et quieta et beata re publica tribui fas erat, tamen ista perturbatione ac licentia plura sibi adsequi videbantur, cum, mixtis omnibus et moderatore uno carentibus, tantum quisque orator saperet, quantum erranti populo persuaderi poterat. Hinc leges adsiduae et populare nomen, hinc conciones magistratuum paene pernoctantium in ro-

1. Mortuus est anno VI a. Ch. n.

2. X, 1, 113.

3. Ad Brut. I, 15, 1.

4. Dial. de Orat. 18.

5. X, 5, 2.

6. Dial. XXXVI.

stris, hinc accusationes potentium reorum et adsignatae etiam domibus inimicitiae, hinc procerum factiones et adsidua Senatus adversum plebem certamina. Quae singula etsi distrahebant rem publicam, exercebant tamen illorum temporum eloquentiam et magnis cumulare praemiis videbantur». At publica libertate extincta «longa temporum quies et continuum populi otium et adsidua Senatus tranquillitas et maximi Principis disciplina ipsam quoque eloquentiam sicut omnia alia pacaverat».<sup>1</sup>

Quae sententia, etsi praesertim ad aetatem posteriorem pertinet, tamen etiam Augusti tempora extrema quidem quodam modo tangit, ut vel ab *Annaeo Seneca maiore*, quem rhetorem appellant, accepimus. Qui quinquagesimo fere anno a. Ch. n. Cordubae, in Hispania, equestri loco ortus, cum iuvenis admodum Romam venisset ibique egregios oratores audivisset, tanto eloquentiae studio exarsit, ut omnes, qui dicendo aliquid possent, assidue audire gestiret. Itaque, cum in Hispaniam revertisset, non multis post annis Romam cum Helvia uxore et liberis rursus contendit, ubi cum suam sedem collocavisset, et filios excolendos curavit et oratoribus declamatoribusque impense operam dedit. Idem *de Bellis civilibus* historias scripsit, quae perierunt. At alterius operis magna quidem pars ad nos pervenit, quod *Oratorum et Rhetorum sententiae, divisiones, colores* inscribitur. Hoc iam senex, a filiis rogatus, memoria nisus, qua mirum in modum valebat, anno fere XXXVII p. Ch. n. composuit; quod cum ad filios mitteret haec, inter alia multa, scripsit; «Exigitis rem magis iucundam mihi quam facilem: iubetis enim quid de his declamatoribus sentiam, qui in aetatem meam inciderunt, indicare et, si qua memoriae meae nondum elapsa sunt ab illis dicta, colligere, ut, quamvis notitiae vestrae subducti sint, tamen non credatis tantum de illis, sed et iudicetis».<sup>2</sup> Idem filios

1. Ibid. XXXVIII sub finem.

2. Controv. I. I praefat. Memoriam velocissimam ac tenacissimam suam ipse paulo infra testatur. Nam «Hanc inquit aliquando in me floruisse, ut non tantum ad usum sufficeret, sed in miraculum usque procederet, non nego: nam et duo milia nominum recitata, quo erant ordine dicta reddebam, et ab his, qui ad audiendum praeceptorem mecum convenerant, singulos versus a singulis datos, cum plures quam ducenti efficerentur, ab

laudat quod, non contenti exemplis saeculi sui, prioris quoque velint cognoscere. Ita enim fit, ut possint « aestimare in quantum cotidie ingenia decrescant et nescio qua iniquitate naturae eloquentia se retro tulerit; quidquid Romana facundia habet, quod insolenti Graccae aut opponat aut praeferat, circa Ciceronem effloruit; omnia ingenia, quae lucem studiis nostris attulerunt, tunc nata sunt ».

Quin etiam multas addit de Ciceronis aetate laudes, et corruptos mores corruptamque eloquentiam sui saeculi queritur. Quodsi unus fortasse ex laudatoribus temporis acti videri potest, nemo tamen dubitet quin haud falsa ille finxerit, praesertim cum eloquentiae corruptionem non uni causae attribuat: nam « In deterius — inquit — deinde cotidie data res est sive luxu temporum (nihil enim tam mortiferum ingeniis quam luxuria est), sive, cum praemium pulcherrimae rei cecidisset, translatum est omne certamen ad turpia multo honore quaestuque vigentia, sive fato quodam cuius maligna perpetuaque in rebus omnibus lex est, ut, ad summum perducta, rursus ad infimum, velocius quidem quam ascenderant, relabantur ». (Controv. Ibid.).

Eloquentia igitur a foro atque a Senatu in ludos et in conventicula se recepit, ubi declamatores ingeni sui specimen edere possent et audientium laudes captare. Qui mos quamquam insequenti aetate magis invaluit quam Augusti temporibus, ab Asinio Pollione, quem supra diximus, institutus est.

Sed, ut ad Senecae opus redeamus, decem illud **CON-  
TROVERSIARUM** libros et **SUASORIARUM** unum complexum est: exstant, neque tamen integrae, Suasoriae, et Controversiarum libri I, II, VII, IX, X. Controversias autem id declamationum genus appellaverunt, quo, fictis causis legibusque plerumque fictis, suam quisque sententiam defenderet, ut specimen sui ingeni ac dicendi generis ederet vel in scholis vel apud elegantium hominum coronam. Huic simile declamationum genus, sed aliquanto levius et facilius, Suasoriis continebatur, quod minus validi iuvenes minusque dicendi periti sibi sumebant, ut, aliqua posita

---

ultimo incipiens usque ad primum recitabam. Nec ad complectenda tantum quae vellem velox mihi erat memoria, sed etiam ad continenda quae acceperat solebat bonae fidei esse ».

quaestione, plerumque vel ab antiquis fabulis vel ab historiis deducta, aliquid suaderent et quomodo esset deliberandum ostenderent. Hae quaestiones erant huiusmodi, ut Suasoriae II: « Trecenti Lacones contra Xersen missi, cum treceni ex omni Graecia missi fugissent, deliberant an et ipsi fugiant »; vel ut Suasoriae VII: « Deliberat Cicero an scripta sua comburat, promittente Antonio incolumitatem, si fecisset ». At Controversiarum hoc est exemplar: « Liberi parentes alant aut vinciantur. Duo fratres inter se dissidebant; alteri filius erat. Patruus in egestatem incidit: patre vetante, adolescens illum aluit: ob hoc abdicatus tacuit. Adoptatus a patruo est. Patruus accepta hereditate locuples factus est. Egere coepit pater: vetante patruo aluit illum. Abdicatur ».

Declamatorum igitur Augusti aetatis M. PORCIUM LATRONEM Hispanum longe maximum et optimum Seneca iudicavit, memoria et ipsum praeditum mirum in modum eundemque rhetorico et declamationis egregium magistrum. Hunc etiam Ovidius et audivit et est admiratus. Magna vero laude dignos etiam JUNIUM GALLIONEM et ARELLIUM FUSCUM et C. ALBUCIUM SILUM Seneca iudicat, quorum sententias, praesertim Latronis, in suis libris saepius tradit.

Hos tamen omnes duo nescio an oratores potius quam declamatores superaverunt, T. LABIENUM dico et CASSIUM SEVERUM. Quorum prior, ut apud eundem Senecam scriptum legimus,<sup>1</sup> « declamavit, non quidem populo, sed egregie. Non admittebat populum et quia nondum haec consuetudo erat inducta et quia putabat turpe ac frivolae iactationis. Adfectavit enim censorium supercilium, cum alius animo esset: magnus orator, qui multa impedimenta eluctatus ad famam ingeni, confitentibus magis hominibus, pervenerat, quam volentibus. Summa egestas erat, summa infamia, summum odium... Nemo erat qui non, cum homini omnia obiceret, ingenio multum tribueret. Color orationis antiquae, vigor novae, cultus inter nostrum et prius saeculum medius, ut illum posset utraque pars sibi vindicare. Libertas tanta, ut libertatis nomen excederet, et quia

1. Controv. I, X praef. 4 et seqq. passim.

passim ordines hominesque laniabat *Rabienus* vocaretur. Animus inter vitia ingens et ad similitudinem ingeni sui violentus, qui Pompeianos spiritus nondum in tanta pace posuisset. In hoc primum excogitata est nova poena: effectum est enim per inimicos ut omnes eius libri comburentur...<sup>1</sup> Non tulit hanc Labienus contumeliam, nec superstes esse ingenio suo voluit, sed in monumenta se maiorum suorum ferri iussit atque ita includi, veritus scilicet ne ignis, qui nomini suo subiectus erat, corpori negaretur: non finivit tantum se ipse, sed etiam sepelivit ». Nec inferiorem in eloquentia locum CASSIUS SEVERUS obtinuit, eodem anno natus, quo Iulius Caesar est interfectus. Quem Augustus *commotus* — ut apud Tacitum<sup>2</sup> legimus — eius *libidine qua viros feminasque illustres procacibus scriptis diffamaverat* Crëtam relegavit; deinde Tiberius bonis exiit et Seriphum — quod est inter Cycladas insulas fere saxum — transtulit, ubi ille consenuit.<sup>3</sup> Hunc Tacitus fuisse addit « sordidae originis, maleficae vitae, sed orandi validum ». Quintilianus<sup>4</sup> autem « Multa — inquit — si cum iudicio legatur, dabit imitatione digna. Cassius Severus, qui si ceteris virtutibus colorem et gravitatem orationis adiecisset, ponendus inter praecipuos foret. Nam et ingeni plurimum est in eo et acerbitas mira et urbanitas et fervor, sed plus stomacho<sup>5</sup> quam consilio dedit. Praeterea ut amari sales, ita frequenter amaritudo ipsa ridicula est ». In quo Quintilianus mihi quidem videtur nonnihil eorum iudicio indulsisse, qui Domitianum eiusque principatum foverent, ob eamque rem Cassi laudibus aliquid fortasse detraxisse.

Augusti aetate duo insignes *iuris consulti* floruerunt, « duo pacis decora » — ut Tacitus<sup>6</sup> scripsit — M. ANTI-STIUS LABEO et C. ATEIUS CAPITO. Quorum Labeo rei pu-

1. Nam historias de bellis civilibus ita scripserat ut multa multis oblceret.

2. Annal. I, 72.

3. Ann. IV, 21.

4. X, 1, 116.

5. Id est « iracundiae ».

6. Ann. III, 75.



blicae libertatem vehementer desideravit, Capito unius dominatum libenter probavit. Hos Tacitus (Ann. III, 75) ita commemoravit: « Capito Ateius — inquit — ... principem in civitate locum studiis civilibus adsecutus... Consulatum ei adceleraverat Augustus, ut Labeonem Antistium, iisdem artibus praecellentem, dignatione eius magistratus anteiret. Namque illa aetas duo pacis decora simul tulit. Sed Labeo incorrupta libertate et ob id fama celebratior: Capitonis obsequium dominantibus magis probabatur. Illi, quod Praeturam intra stetit, commendatio ex iniuria; huic, quod Consulatum adeptus est, odium ex invidia oriebatur ».

Ab his duae iuris peritorum tamquam sectae ortae sunt inter se adversae, quarum alteri SEMPRONIUS PROCULUS, Labeonem secutus, alteri MASURIUS SABINUS, qui Capitonem audiverat, nomen dederunt. Hi civium societatem atque communem utilitatem, illi rectam rationem et iuris perpetuitatem quandam atque constantiam magis respererunt.

Restat ut praecipuos *doctissimorum hominum* paucis memoremus, qui res non tam ad bonas litteras atque scribendi artificium quam ad usum vel ad quaesitiorem, ut ita dicam, doctrinam pertinentes scripserunt. In quibus principem fortasse locum VERRIUS FLACCUS obtinuit. Qui Praeneste natus grammaticam ita docuit, ut magnam sibi famam comparaverit. Huic et Augustus Gaium ac Lucium nepotes instituendos commisit et Praenestini in foro statuam erexerunt apud hemicyclium ubi in marmoreis tabulis FASTI illi PRAENESTINI insculpti erant, quibus Verrius ipse ineunte Tiberi principatu finem imposuerat, quosque Ovidius, ut supra diximus, in suis Fastis componendis profecto adhuc buit. Sed praecipuum Verri Flacci opus *De verborum significato* fuit, plurimos utique libros complexum, in quibus multa tradebantur ad rem publicam, ad iuris prudentiam, ad linguam Latinam, ad deorum cultum atque caerimonias pertinentia, quae omnia ille usque ab antiquissimis monumentis diligentissime hau-

serat et in litterarum ordinem redegerat. Huius operis postea, Antoninis, quos appellant, Principatum obtinentibus, compendium composuit SEX. POMPEIUS FESTUS, quod in viginti libros digestum adhuc manet, ita tamen, ut multa desiderentur. Ceterum multis saeculis post PAULUS DIACONUS huius compendi epitomen edidit, quam ad Carolum Magnum misit. Haec demum integra ad nos pervenit.

Etiam C. IULIUS HYGINUS, Augusti libertus, et doctrinae varietate et iudicii elegantia et poetarum intellegentia magnam famam est adeptus. Quem Augustus bibliothecae Apollini Palatino sacrae praefecit. Plura de antiquitate opera scripsit, ut *De familiis Troianis*, ut *De origine urbium Italicarum*, ut denique *De vita rebusque illustrium virorum*, quae omnia desiderantur. Extant tamen eius nomine inscriptae CCLXXVII FABULAE, quas ille e fabulari Graecorum historia videtur duxisse; praeterca DE ASTRONOMIA libri quattuor.

Magis tamen mentione est dignus VITRUVIUS POLLIO, quippe cuius opus, DE ARCHITECTURA libri decem, ad Octavianum missum, integrum ad nos pervenerit. In quo non solum de mathematicis, de geometria, de pictura lineari, quae architecturae tamquam subsidia sunt, sed etiam de musica, de astronomia, de medicina, de historia, de philosophia agitur, quotiescumque artes illae ad varia aedium genera videntur pertinere, ut musica ad theatrum aedificandum, ut historia ad domos ornandas atque pingendas. Neque solum qua ratione, sed etiam quibus locis aedificare oporteat ille quidem docet; itaque de viis, de foris, de moenibus agit. Neque quae materia ad aedificandum magis sit apta explicare neglegit; quin etiam quantum ars aedificandi tempore profecerit ostendit.

Non pauca addit de sacris aedibus, de publicis privatisque aedificiis, de aquae ductibus, de horologiis solariis, de clepsydris, de variis denique machinis ad varium usum spectantibus. Genus dicendi Vitruvius adhibet ad eas artes quas docet plerumque consentaneum: itaque cum Latinus sermo non suppetat — id quod haud raro accidit — ad Graeca verba confugit; neque tamen desunt loci, in quibus orationis ornamenta ille quidem et ampullas ostentat, bonus tamen scriptor, non optimus.

## DE QUARTA LITTERARUM AETATE QUAM ARGENTEAM APPELLAVERUNT

Hæc quidem ætate, quæ plus quam centum annorum spatium ab Augusti excessu ad Traiani mortem (a. CXVII) complectitur, Romani imperi potentia tantum afuit ut imminueretur, ut etiam augetur, cum aliae deinceps gentes subigerentur et, quæ iam subactæ essent, earum nonnullæ moribus, affinitatibus, artibus cum Romanis magis in die: commiscerentur atque coalescerent. Sed præclaræ illæ veterum Romanorum virtutes, quæ Augusti iam ætate, ut supra diximus, minui ac delabi coeperant, illa præsertim animi constantia, illa gravitas, illud decus et pudor et fides et pietas, postquam Senatus ad infimas Tiberi principis adulationes procubuit suamque dignitatem exiit, et Tiberius legem maiestatis ita reduxit, ut non solum facta, sed etiam dicta arguerentur, neque populi Romani sed Principis ipsius maiestas protegeretur, tum vero una cum civili libertate omnes fere neglectæ ac pæne extinctæ sunt. Nec mirum: amissa enim libertate necesse est virtutibus vitia succedant: tum vero subeunt simulatio, ostentatio, sacvicia, formido, proditio, voluptatum dira cupiditas; nulla fides, nulla pietas, nulla religio: nihil manet incorruptum. Neque tamen nulli fuerunt iis temporibus præclari viri; fuerunt quidem, sed perpauci; eo magis eorum nomina tamquam in tenebris astra clarissima splendent. Neque ætas illa tota æqualiter corrupta fuit: fuerunt quaedam temporis spatia quibus homines et res vel melius vel minus male se habuerunt, ut clarum illud Neronis quinquennium, ut Vespasiani et Titi, ut denique Traiani principatus; sed mala diutius manserunt.

Hanc temporum turpitudinem cum alii scriptores et poetæ, tum haud semel Tacitus notavit. Qui in libro de

IULI AGRICOLAE VITA, quem incunte fere Traiani principatu scripsit « Legimus — inquit — cum Arulono Rustico Paetus Thrasoa,<sup>1</sup> Herennio Senecioni Priscus Helvidius laudati essent, capitale fuisse: neque in ipsos modo auctores, sed in libros quoque eorum saevitum, delegato triumviris ministerio, ut monumenta clarissimorum ingeniorum in comitio ac foro urerentur. Scilicet illo igne vocem populi Romani et libertatem Senatus et conscientiam generis humani aboleri arbitrabantur, expulsis insuper sapientiae professoribus atque omni bona arte in exilium acta, ne quid usquam honestum occurreret. Dedimus profecto grande patientiae documentum: et sicut vetus aetas vidit quid ultimum in libertate esset, ita nos quid in servitute, adempto per inquisitiones et loquendi audiendique commercio. Memoriam quoque ipsam cum voce perdidissemus, si tam in nostra potestate esset oblivisci quam tacere ».<sup>2</sup>

Idem paulo infra:

« Quid? si per quindecim annos, grande mortalis aevi spatium, multi fortuitis casibus, promptissimus quisque saevitia Principis interciderunt? Pauci ut ita dixerim non modo aliorum, sed etiam nostri superstites sumus; exemptis e media vita tot annis, quibus iuvenes ad senectutem, senes prope ad ipsos exactae aetatis terminos per silentium venimus ». (Agric. 3).

Haec quidem de Domitiani principatu; sed horum multa multis aliis de principatibus illius aetatis iure dici possunt: neque tamen ignoro rationem etiam illius proclivitatis habendam esse, qua Tacitus omnia fere severioribus, ut ita dicam, coloribus depinxit. Quodsi Christi religio iam a Neronis temporibus magis in dies, quamvis occultis viribus, convalescebat, non ante insequentem aetatem Latinos scriptores invenit. Sed ut ad litteras revertamur, illud in primis animadvertendum est, multos illa aetate litterarum studiis operam dedisse, sed laude dignos pro eorum

1. Thrasea Paetus Patavinus magnam animi constantiam et gravitatem in Senatu haud semel ostendit; itaque apud Neronem accusatus et capite damnatus, venam sibi ipse aperuit. Cuius gener. Helvidius Priscus, « e moribus soceri nihil acque ac libertatem hausit: civis, Senator, maritus, gener, amicus, cunctis vitae officiis acquabilis, opum contemptor, recti pervicax, constans adversus metus ». (Tac. Hist. IV, 5).

2. Agric. 2.

numero extitisse paucos. Itaque litterarum studia atque humanitatem multo latius quam superiore aetate patuisse iure dixeris; sed scriptorum poetarumque plerique, cum temporum vitiis indulgerent, vel ingenio non satis valerent, vel in tantam se abicerent adulationem, ut falsa pro veris impudenter promere solerent, nihil ediderunt, quod eorum famam posteris commendaret. Neque tamen, ut supra diximus, clarissima ingenia defuerunt, quae totius fere illius aetatis decus quoddam ac dignitatem redimerent quodammodo atque servarent; in quibus excelsum tenent locum Seneca ille philosophus et Tacitus: neque indigni sunt laudibus in epicis Lucanus, Papinius Statius, Silius Italicus, Valerius Flaccus; in satiris, Persius, Petronius, Iuvenalis; in epigrammatis, Martialis. Adde inter scriptores prosae orationis Plinium et Quintilianum. Adde, quamvis minores, Velleium Paterculum, Valerium Maximum, Curtium Rufum. Phaedrum denique fabularum scriptorem quis praetermittat? De his omnibus aliisque paucis nunc agemus, non tam litterarum generum quam temporis ordinis ratione habita.

### De Phaedro eiusque fabulis.

De Phaedri vita perpauca accepimus, quae ex ipsius opere intellegere licet. Ne nomen quidem satis novimus, utrum Phaedrus an Phaeder fuerit. Se ad pedes montis Pieri, in Macedonia, natum esse, ipse fatetur.

Ex operis autem inscriptione apparet eum et servum fuisse et Augusti libertum. Ei Scianus, potentissimus ille Tiberi minister, videtur ita adversatus esse, ut nescio quam poenam irrogaverit ob eam fortasse causam, quod in fabulis, quarum ille primos duos libros ediderat, intellexisset aliquid inesse, quo ipse notaretur. Postea vero Phaedrus, suae vitae rationi restitutus, alias fabulas scripsit.

Quarum ad nos quinque libri pervenerunt, quibus nullum est dubium quin non omnes fabulae, quas ille scripserit, contineantur. Quod et ex eo colligi potest, quod duo libri, secundus et quintus, minorem reliquis fabularum numerum complectuntur, et ex ipso primi libri prooemio, cum ille promiserit in suis fabellis non tantum feras, sed

etiam arbores locuturas; id quod nusquam totius operis videmus. Itaque abhinc quingentos fere annos Nicolaus Perotti, vir utique doctus idemque Manfredoniae archiepiscopus, duas et triginta fabulas e nescio quo fabularum Latinarum libro excerptas Phaedro attribuit. Cuius opinio plerisque eorum qui intellogunt aliqua quidem ex parte probatur. Quodsi non omnes Phaedri neque quales e Phaedri mente processerunt, eae tamen sunt, ut facile dixeris, qui has fabulas scripserint, eos ab ipso Phaedro omnia fere hausisse.

Sed ad quinque illos revertamur libros, quos qua mente scripserit, quod quidem ad librum primum pertinet, ipse in prooemio ita testatur:

Aesopus auctor quam materiam repperit,  
hanc ego polivi versibus senariis.  
Duplex libelli dos est: quod risum movet  
et quod prudenti vitam consilio monet.  
Calumniari si quis autem voluerit  
quod arbores loquantur, non tantum ferae,  
fictis iocari nos meminerit fabulis.

Hinc apparet materiam eum ab Aesopo petivisse, sed expolire voluisse. Animadvertendum est etiam quanto-pere eius interfuerit vitam prudenti consilio monere. Quod autem ad risum pertinet, ridere ille quidem haud semel videtur, eo tamen risu, qui ab animi aegritudine, non iucunditate, oriatur. Ille enim humiles homines potentibus obnoxios esse, iustitiam conculcari, virtutes contemni haud aequo animo tulit. Cum autem in querelas erumpere periculosum esset, idcirco vera fictis fabulis obduxit. Nam «*Servitus obnoxia — inquit —*

quia quae volebat non audebat dicere,  
adfectus proprios in fabellas transtulit  
calumniamque fictis elusit iocis. (Lib. III prolog.)

Idem alibi:

Contra potentes nemo est munitus satis:  
si vero accessit consiliator maleficus,  
vis et nequitia quidquid oppugnant, ruit.

Idem semper se meminisse velle dicit illud Enni:

Palam mutire plebeio piaculum est. (Lib. III epilog.)

Aesopum vero praeter librum primum non ita semper imitatur, ut nihil sui addat aut interponat;<sup>1</sup> quin etiam plura se cogitavisse dicit quam ille reliquisset<sup>2</sup> et, quia paucas Aesopus ostenderit, plures ferre se

usum vetusto genere, sed rebus novis.<sup>3</sup>

Haec in prologis scripta legimus, quos ille suis libris praeposuit. Neque fictas tantum fabellas composuit, sed passim narratiunculas interposuit veras, ut illam, quam ipse « veram fabellam » appellat, de Caesare (Tiberio) ad atriensem,<sup>4</sup> ut illam de Simonide.<sup>5</sup> Saepissime vero beluas agentes et loquentes inducit; in quo Aesopum quidem imitatur, non ita tamen, ut earum suam cuiusque praecipuam notam semper bene descripsisse videatur. Quodsi artificium in componendis fabulis adhibere voluit, tamen non tam quid huic vel illi beluae magis esset consentaneum, quam quid ad docendos instituendosque homines magis esset aptum spectavisse ille quidem videtur, cum vitia maxime emendare cuperet et suam animi aegritudinem tacitamque, ut ita dicam, querendi cupiditatem quodam modo levare. Idem genere dicendi usus est bono quidem, sed non optimo, praesertim cum ea vocabula immodice adhibuerit, quibus non res, quae sunt, significantur, sed rerum notae, quae mente concipiuntur, ut si « veritatem » dicas pro « veris » et « posteritatem » pro « posteris ». Eius tamen magnopere laudari solet *brevitas*, quamquam non desunt quibus ieiuna illa quidem et arida nonnumquam esse videatur.

- 
1. Lib. II, prolog.
  2. Lib. III, prolog.
  3. Lib. IV, prolog.
  4. Lib. II, 5.
  5. Lib. IV, 22.

## De Manilio et Germanico Caesare.

Ex ceteris, qui Tiberi aetate poeticam coluerunt, duo sunt mentione digni, MANILIUS et GERMANICUS, qui de astris poemata composuerunt. Quorum prior fere ignotus nobis est, cum nomen ipsum haud satis sciamus utrum Manilius an Manlius fuerit. Quinque ille ASTRONOMICON libros ita scripsit, ut primo siderum cognitionem, reliquis astrorum formas et praecipuas notas et quam quodque vim in hominum vitas habeat quidque significet elegantibus versibus explicet atque doceat. Neque tamen poetico afflatu nisi raro assurgit neque res poeticis imaginibus ornare solet; quamquam et rerum ordine et magna disciplinae, quam tractat, aestimatione atque admiratione et prooemiorum, quae singulis libris praeposuit, sententiis cum Lucretio certare manifesto voluit. At opiniones longe alias ac Lucretius aperit atque defendit, cum non Epicurum sequatur nec eius doctrinam probet de atomis, quas appellant, sed Deum et rationem doceat totum regere mundum et divinam quandam esse et mentem et providentiam: has vero astris omnia et significare et efficere. Dei enim mens

fata quoque et vitas hominum suspendit ab astris.

Quin etiam hominum animos immortales esse docet et eos, a caelo ortos, ad caelum redire, Platonem utique et Ciceronem secutus. Eum igitur naturae arcana haud inepte investigavisse hominumque dignitatem adversus Epicuri praecepta defendisse iure dixeris.

GERMANICUS, Drusi<sup>1</sup> filius idemque Caligulae pater, cuius rei militaris peritiam et virtutes insignes Tacitus in primis Annalium libris posteris tradidit, cum bonas litteras, tum siderum scientiam coluit atque illam naturalis philosophiae partem, qua ventorum tempestatumque natura ratione colligitur. Itaque Arati, Alexandrini poetae, opus ita imitatus, ut tamen suus quodammodo existeret, duo poemata composuit, quorum alterum PHAENOMENA, alterum PROGNOSTICA inscripsit. Ad nos vero prioris plus quam septin-

1. Drusi illius qui Tiberi principis frater fuit.



genti, alterius ducenti fere hexametri pervenerunt; ex quibus arguere licet Germanicum in versibus componendis magnam adhibuisse curam atque a Vergili Ovidique elegantia nonnihil sumpsisse; Ciceronem igitur, qui, ut supra diximus, Aratum et ipse in Latinum sermonem verterat, videtur facile superavisse.

### De Velleio Paterculo et Valerio Maximo et Curtio Rufo.

C. VELLEIUS PATERCULUS Campanus nobili loco ortus anno fere XX a. Ch. n., tribunus militum C. Caesare, Agrippae filio, duce, in Achaia primo et in Asia militavit, deinde apud Tiberium et in Germania et in Pannonia praefectus equitum, mox legatus fuit. Postquam vero Octavianus Augustus de vita decessit, praetor favente Principe creatus est et in senatum accitus.<sup>1</sup> Qui duos *Historiarum* libros scripsit, quorum priore res ab Ilio exciso usque ad Carthaginem et Corinthum deletas ita complectitur, ut omnia fere cursim, ut ita dicam, narret; altero usque ad annum XXX p. Ch. n. descendit, quo Vinicius, ad quem totum opus misit, consul est creatus. Quo in libro res latius disponit et ita narrat, ut Tiberium eiusque gesta laudibus celebret. Quin etiam ad adulationem haud semel descendisse multis quidem videtur, neque desunt qui totum opus ita compositum esse dicant, ut liber prior tamquam prooemium quoddam laudum concentui, quae altero libro continentur, esse videatur. Quod iudicium nimium esse apparebit, si illud animadverteris, Velleium Paterculum multa in Tiberio, optimo militiae duce, iure vidisse laude digna, multa, miro quodam ducis sui studio ac vera admiratione incensum, fere inscium levavisse vel praeterisse. Quodsi res declamatoriis coloribus saepe auget et inflat, haud scio an non tam ipsius ingenio ac studio tribuendum sit, quam aetati illi, quae declamatoribus favit. Praeterea hoc facere non possum quin memorem, Velleium primum in historiis etiam de Latinis et litteris et scriptoribus nonnulla tradidisse; quae, si non semper iis qui intellegunt probari possunt, illius litterarum bonarumque artium studium satis ostendunt.

1. Mortuus est, ut videtur, anno ferme XXXI p. Ch. n.

VALERIUS MAXIMUS ignoramus ubi, quando, quibus parentibus natus sit. Hoc satis constat, eum, cum pauper esset, beneficia accepisse a Sex. Pompeio quodam, egregio viro, qui consul fuerit anno XIV p. Ch. n., quem ille Asiae proconsulem in amicorum cohorte in provinciam secutus sit. FACTORUM ET DICTORUM MEMORABILIUM libros novem ad principem misit, quorum materiam a maximis et Latinis et Graecis rerum scriptoribus, ut ipse dixit, sumptam ita descripsit ut praecipuae virtutes suis quaeque exemplis illustrarentur, ut religio, ut militaris modestia ac disciplina, ut abstinentia, ut liberalitas, ut clementia, ut amicitia. Illud enim spectat in primis, non ut res ab hominibus aut civitatibus gestas ordine narret, sed ut virtutes exemplis doceat atque commendet. Adde quod iis et factis et dictis magis delectari videtur, quibus legentium animi admiratione afficiantur. Genere dicendi utitur et hic plerumque inflato, verbis autem iis, quae ab optimis scriptoribus haud multum discrepent.<sup>1</sup>

Q. CURTIUS RUFUS,<sup>2</sup> quamquam non desunt, qui, loco quodam eius operis nixi, dubitent an aliquanto post, principe Claudio, libros suos ediderit, tamen a duobus illis quos paulo supra diximus, similitudine quadam ingeni et orationis nobis quidem seiungendus non videtur. Qui HISTORIARUM ALEXANDRI MAGNI libros decem scripsit, quibus res ita narrat, non ut penitus perspicere quantam Alexander in humanarum rerum et civitatum cursu mutationem effecerit, sed ut ipsum virum Alexandrum eiusque eximiam ac fere miram rei militaris peritiam ipse admirari videatur idque contendere, ut ii qui legunt eadem mirabilium rerum admiratione afficiantur. In quo multos Alexandrinos scriptores, ut Clitarchum, ut Timagenem, profecto imitatus est, qui res ab Alexandro gestas non tam narraverunt quam laudibus extulerunt mirabilibusque casibus ornaverunt. Quamquam vero nonnulla ab eis relata ille quidem credi non posse iudicat, multa tamen, quae

1. Huius operis etiam duo compendia ad nos pervenerunt, quorum alterum IULIUS PARIS quidam post annum fere CD p. Ch. n., alterum quidam IANUARIUS NEPOTIANUS ediderunt. Huius tamen duo primi libri et parva terti pars exstant.

2. De eius vita nihil compertum habemus.

fidem egrediantur, tradit, mirabilia Alexandri itinera et proelia describit, mirabiles vitae casus verbis auget, mirabiles longin quarum illarum regionum, quae ad Orientem solem spectant, amoenitates pulcherrimis coloribus pingit, adeo ut non rerum scriptorem eum in multis sui operis partibus se praeberere iudices, sed bonum declamatorem, praesertim cum orationes multas multis locis referat, Livium quidem cum toto fere opere, tum hac in re imitatus, ita tamen ut illius virtutes nonnumquam in vitium verterit.

Sed Curti sermo, ut Vellei et Valeri Maximi, ab optimis scriptoribus haud longe abest.

Nunc vero antequam ad praecipuos scriptores veniam, qui aetate Neronis floruerunt, perpauca de AULO CREMUTIO CORDO et de AULO CORNELIO CELSO memoranda sunt. Quodsi Cremuti Cordi HISTORIAE vel potius ANNALES de extremis liberæ rei publicæ annis et de principatus initio perierunt, ipsius tamen memoria, a Tacito in quarto Annalium libro posteris tradita, adhuc viget. Tacitus<sup>1</sup> enim: « Cornelio Cosso — inquit — Asinio Agrippa consulibus<sup>2</sup> Cremutius Cordus postulatur,<sup>3</sup> novo ac tum primum audito crimine, quod, editis annalibus laudatoque M. Bruto, C. Cassium Romanorum ultimum dixisset. Accusabant Satrius Secundus et Pinarius Natta, Seiani clientes. Id perniciosabile reo et Caesar truci vultu defensionem accipiens... ». Hanc defensionem Tacitus postquam nobilissimis verbis tradidit, ita narrationem concludit:<sup>5</sup> « Egressus dein senatu vitam abstinentia finivit. Libros per aediles cremandos censuere patres; sed manserunt occultati et editi ». Edidit autem Marcia, Cremuti filia, ad quam Seneca cum *Consolationem* mitteret, ut infra dicemus, hæc postea scripsit:<sup>6</sup> « Palam et gemitus devorasti quidem, non tamen hilari fronte texisti, et hoc illo sæculo, quo

1. Ann. IV, 34.

2. I. e. anno XXV p. Ch. n.

3. I. c. « accusatur ».

4. Tiberius.

5. Ibidem cap. 35.

6. Cons. ad Marciam, 2-3.

magna pietas erat nihil impie facere: ut vero aliquam occasionem mutatio temporis dedit, ingenium patris tui, de quo sumptum erat supplicium, in visum hominum reduxisti et a vera illum vindicasti morte ac restituisti in publica monumenta libros, quos vir ille fortissimus sanguine suo scripserat ». Marcia vero quaedam in edendis libris sustulit. Quintilianus<sup>1</sup> enim: « Habet — inquit — amatores, nec immerito, Cremuti libertas, quamquam *circumcisis* quae dixisse ei nocuerat: sed elatum abunde spiritum et audaces sententias deprehendas etiam in his quae manent ».

AULUS CORNELIUS CELSUS, qui Tiberi aetate floruit, complures libros DE ARTIBUS<sup>2</sup> ita scripsit, ut orbem, doctrinae, quam Graeci ἐγκύκλιον παιδείαν vocaverunt, amplecteretur; nam de agricultura, de medicina, de arte militari, de arte dicendi, de iuris prudentia aliisque de artibus egit; ad nos vero libri octo, a sexto usque ad decimum tertium pervenerunt *de medicina*, in quibus nescio quos Graecos scriptores imitatus, ita tamen ut suo ipsius usu nisus esse videatur, et medicinae gradus atque aetates explicat et de duabus illis medicorum sectis disputat, quarum altera morborum causas investigare studebat ac rationi principem tribuebat locum, altera remediis atque usui maius pondus afforebat; deinde quibus quam multis quamque periculosis morbis homines sint obnoxii et quae remedia adhibenda sint recenset et aperit; postremo de illa medicinae parte agit, quae manu medetur, quam chirurgiam appellant, et de morbis quibus ossa laborant. Haec omnia satis eleganter exponit, adeo ut a quibusdam Cicero medicorum iure appellatus sit.

Neque M. APICIUS, famosus helluo, praetermitti potest, qui Tiberi aetate et sexcenties centena milia sestertium gulae impendisse, deinde, egestatis metu impulsus, mortem sibi veneno conscivisse traditur, et *De re coquinaria* videtur scripsisse. Idcirco autem dico « videtur », quod decem illi *de re coquinaria* libri, qui sub Apici nomine ad nos pervenerunt, M. Apicio illi tribui non possunt seu quia

1. Inst. X, 1, 104.

2. Vcl *Artes*.

recentioribus verbis abundant seu quia haec est vera eorum inscriptio: *Caelii Apicius*; hinc arguere licet et *Apici* nomen iam in proverbium venisse nec quidquam aliud significavisse, nisi edacem hominem vel ipsam edacitatem, et Caelium quendam hoc opus scripsisse. Quem trecentis ferme annis post Tiberi aetatem quidam floruisse putant.

Praeterea POMPONIUS MELA Hispanus est nominandus, qui incertum est utrum Caligulae an Claudii aetate floruerit. Hic *de chorographia* libros tres scripsit, quod opus, cum primum de hoc quidem genere ad nos pervenerit, magni habendum est. Adde quod ille res diligenter exponit neque tantum regiones describit totius orbis, qui quidem aetate illa notus fuerit, sed etiam mores atque praeteritas res narrat eorum populorum, quos recenset. Hunc autem sequitur ordinem, ut ab Africae regionibus exorsus quae ad orientem solem spectant, toto fere orbe, ut ita dicam, peragrato rursus ad easdem regiones perveniat. Verbis utitur satis puris, genere scribendi fortasse putidiore.

### Lucius Annaeus Seneca.

L. Annaeus Seneca, Senecae illius filius, quem supra diximus *Controversias et Suasorias* scripsisse, secundo vel tertio anno p. Ch. n. Cordubae, ut pater, in Hispania ortus, cum puer Romam venisset ibique artis dicendi et philosophiae studiis impense operam dedisset, tantum eloquentia valuit, ut anno XXXIX, cum in Senatu orationem luculentissimam habuisset, Caligula princeps, invidia ac livore incensus, cum interficere cogitaverit; quod profecto fecisset, nisi femina quaedam, quae erat Principi in deliciis, huic persuasisset ut Senecae mortem expectaret, quae mox illum mala valetudine laborantem correptura esset. Neque multo post (a. XLI) Messalina, Claudii principis uxor eademque mulier pessima, cum Iuliam Livillam, Germanici filiam, Caligulae sororem, cuius eximiae pulcritudini invidebat, adultéri crimine primo in exilium deinde ad extremum supplicium compulisset, Senecam quoque, tamquam illius adulteri conscium vel adiutorem, Claudio persuasit ut in Corsicam, in asperam insu-

lam ac tum incultam, relegaret. Unde non prius Romam rediit, quam Agrippina, postrema Claudii uxor, effecit ut eum Claudius ab exilio revocaret (a. XLIX) et Neronem, Cn. Domiti Aenobarbi eiusdemque Agrippinae filium, etiam tum puerum undecim annorum, quem Princeps ita adoptaverat, ut in locum Britannici filii sui succederet, ei institutum committeret. Nam Tacitus<sup>1</sup> « Agrippina — inquit — ne malis tantum facinoribus notesceret, veniam exilii pro Annaeo Seneca, simul Praeturam impetrat, laetum in publicum rata ob claritudinem studiorum eius, utque Domitii (scil. Neronis) pueritia tali magistro adolesceret et consiliis eiusdem ad spem dominationis uteretur: quia Seneca fidus in Agrippinam memoria beneficii, et infensus Claudio dolore iniuriae credebatur ».

Quinque annis post, cum Claudius veneno atque Agrippinae dolo, ut videtur, necatus esset ac Nero in eius locum quamvis adulescens successisset, Seneca, adiuvante Burro, praetorianorum praefecto, novi principis imperitiam adversus matrem, dira quadam honorum atque imperi cupiditate flagrantem, bonis praeceptis atque consiliis regere coepit, Claudique laudationem funebrem, quam Nero apud populum dixit, ipse, si Tacito fidem praebeas, ita scripsit ut « multum cultus praeferret: ut fuit illi viro ingenium amoenum et temporis eius auribus adcommodatum ».<sup>2</sup>

Illud est animadvertendum, Senecam eodem fere tempore, quo laudationem illam Claudii composuerit, dicacissimum in eundem Claudium libellum scripsisse, quo necati principis honores, quibus Agrippina eum in deorum numerum referendum impudentissime curavit, in risum ac dedecus verterit. Hoc vero mox explicabimus.

Senecam autem operam dedisse, ut princeps virtutis viam ingrederetur atque rei publicae prodesset, vel ex eo apparet, quod Claudii necem quinque anni secuti sunt, quibus tam multa publice acta esse constat laude digna, ut quidam viri docti illud temporis spatium, cum ceteris Romani principatus aetatibus comparatum, « aureum quinquennium » appellare non dubitent. Neque tamen effi-

1. Ann. XII, 8.

2. Ann. XIII, 3.

cere potuit quin tacterrima illa in Neronis animo insita vitia, quamvis diu repressa, magis in dies crumperent, praesertim cum Agrippina multa impediret atque in peius verteret, quae Seneca expedire et regere conaretur. Haec eo usque processisse ut Agrippinam filius ipse suus interfici iusserit, quis ignorat? Postquam vero Afranius Burrus, quem supra diximus, vita concessit (a. LXII) «incertum — inquit Tacitus — valetudine an veneno», maioremque in dies potentiam Sofonius Tigellinus, pessimus vir, adeptus est, Senecae auctoritas infracta est, «quia nec bonis artibus idem virium erat, altero velut duce amoto, et Nero ad deteriores inclinabat» (Ann. XIV, 52). Tum deteriores «variis criminationibus — pergit Tacitus — Senecam adoriuntur tamquam ingentes et privatum supra modum eVectas opes adhuc auget, quodque studia civium in se verteret, hortorum quoque amoenitate et villarum magnificentia quasi principem supergrederetur. Obiciebant etiam eloquentiae laudem uni sibi adsciscere et carmina crebrius factitare postquam Neroni amor eorum venisset... Certe finitam Neronis pueritiam, et robur iuventutae adesse. Exueret magistrum satis amplis doctoribus instructus maioribus suis». (Ann. XIV, 52).

Tum Seneca «criminantium non ignarus» colloquium a Principe impetrat, secessum petit, immodicae opes, quas a Nerone acceperat, orat ut in eius fortunam recipiantur. Ad haec Nero fallaci comitate respondet, eius beneficia falsis laudibus offert. «His adicit complexum et oscula, factus natura et consuetudini exercitus velare odium fallacibus blanditiis». (Ann. XIV, 56). At Seneca, quamquam blandienti gratias egit, «instituta prioris potentiae commutat, prohibet coetus salutantium, vitat comitantes; rarus per urbem; quasi valetudine infensa aut sapientiae studiis domi adtineretur». (Ibid.).

Itaque, si non verbis, re quidem in secessum abiit. In quo, ut Tacitus refert, «tradidere quidam venenum ei per libertum ipsius, cui nomen Cleonicus, paratum iussu Neronis: vitatumque a Seneca prodicione liberti seu propria formidine, dum simplici victu et agrestibus pomis ac, si sitis admoneret, profluente aqua vitam tolerat». Neque tamen flagitiosam illam Principis immanitatem effugit.

Nam anno LXV, cum coniuratio illa, quae a Calpurnio Pisone nomen accepit, prodita esset, postquam alii multi necati sunt, secuta est, ut etiam nunc ipsa Taciti verba referam, « caedes Annaei Senecae, laetissima Principi, non quia coniurationis manifestum compererat, sed ut ferro grassaretur, quando venenum non processerat ». (Ann. XV, 60). Cum igitur « necessitas ultima » ei denuntiata est ab uno ex centurionibus, « ille<sup>1</sup> interritus poscit testamenti tabulas: at denegante centurione, conversus ad amicos, quando meritis eorum referre gratiam prohiberetur, quod unum iam et pulcherrimum, imaginem vitae suae, relinquere testatur: cuius si memores essent, bonarum artium famam, tum constantis amicitiae laturos ». Deinde, cum eius uxor, Pompeia Paulina, vellet et ipsa una cum eo mori, « eodem ictu brachia ferro exsolvunt. Seneca, quoniam senile corpus et parvo victu tenuatum lenta effugia sanguini praebebat, crurum quoque et poplitum venas abrumpit. Saevisque cruciatibus defessus, ne dolore suo animum uxoris infringeret atque ipse visendo eius tormenta ad impatentiam delaberetur, suadet in aliud cubiculum abscedere. Et novissimo quoque momento suppeditante eloquentia, advocatis scriptoribus, pleraque tradidit, quae in vulgus edita eius verbis invertere supersedeo ».<sup>2</sup> Tum, « durante tractu et lentitudine mortis, Statium Annaeum, diu sibi amicitiae fide et arte medicinae probatum, orat provisum quidem venenum... promeret: adlatumque hausit frustra, frigidus iam artus et clauso corpore adversum vim veneni. Postremo stagnum calidae aquae introiit, respergens proximos servorum addita voce: libare se liquorem illum Iovi Liberatori. Exin balneo inlatus et vapore eius exanimatus, sine ullo funeris solemni crematur. Ita codicillis praescripserat, cum etiam tum praedives et praepotens supremis suis consuleret ». (Ann. XV, 64).

1. Ann. XV, 62, Taciti verba idcirco libenter ac saepe refero, quod magni momenti sunt et quod Senecae vitam et mortem mirum in modum ostendunt. Quamquam non ignoro, illum passim Senecae meritis nonnulli detraxisse.

2. Ann. XV, 63. Paulinae autem, iussu Neronis, « servi libertique obligant brachia, premunt sanguinem, incertum an ignarae ». Ita ad vitam est revocata. (Ann. XV, 64).



Haec Annaei Senecae mors. Quodsi eius vita Stoicorum praeceptis, quae multis in operibus docuit atque defendit, nonnumquam parum consentanea fuit, cum temporum infelicitati et principis procerumque morum pravitati et publicae administrationis difficultatibus, tum etiam ipsius ingenio atque humanae infirmitati tribuendum esse mihi quidem videtur. Hanc infirmitatem suam ipse non semel in suis operibus fatetur, dum se non sapientem esse, sed ad sapientiam tendere dicit. Quin etiam «neminem nostrum esse sine culpa» defendit: «quis est iste — inquit — qui se profitetur omnibus legibus innocentem?» Adde quod non tam veterum illorum severiora praecepta, sed Stoicorum recentium, ut ita dicam, mitiorem doctrinam ille quidem secutus est, hominum moribus magis utique aptam. Neque excelsa illa Christi instituta satis cognovit nec eius divinis opibus atque animi, ut ita dicam, validissimis fomentis frui potuit. Eius virtus hominis viribus ac finibus continetur; altius non assurgit. Quodsi, cum Socrate illo Platonico comparatus, longe inferior evadit, illud oportet meminisse, a Platone eum legentibus Socratem ostendi, non qualis re vera fuerit, sed qualem ille mente conceperit.

Nunc veniamus ad opera. Quorum multa perierunt, ut **DE MOTU TERRARUM**, ut **DE FORMA MUNDI**, in quo docuisse videtur mundum esse rotundum, ut **EXHORTATIONES**, ut **DE REMEDIIS FORTUITORUM AD GALLIONEM** liber, ut **DE MATRIMONIO** liber, ut denique **ORATIONES**. Alia omitto. Quod autem ad ea attinet, quae Tacitus, ut supra diximus, tradit eum fere morientem, advocatis scriptoribus, dictavisse, sunt qui dubitent an primis illis septimi **DE BENEFICIIS** libri viginti capitibus contineantur.

Multa etiam exstant, quorum ut magnum numerum videas, statim inscriptiones recensebimus. **DIALOGORUM LIBRI DUODECIM** sunt, et **DE CLEMENTIA** — cuius tamen operis, in tres libros iam divisi, secundi libri pars altera et liber tertius totus desiderantur — et **DE BENEFICIIS** libri septem, et **NATURALIUM QUAESTIONUM** libri septem, et **EPISTULARUM MORALIUM AD LUCILIUM** libri viginti, et novem **TRAGOEDIAE**. Adde librum illum quem supra memoravimus, qui in mss. vel **DIVI CLAUDII APOTHEOSIS PER**

SATURAM vel LUDUS DE MORTE CLAUDII inscribitur, at apud DIONEM CASSIUM, Graecum rerum scriptorem, APOCOLOCYNTOSIS Graeco vocabulo appellatur, id est *mutatio in cucurbitam*: nam κολοκύνθη apud Graecos idem est quod cucurbita.

A) DIALOGORUM libris illis duodecim decem opera continentur; qui quamquam «dialogi» appellati sunt, nihil tamen habent cum alternis sermonibus commune. Singula opera singulis libris constant, si tamen DE IRA libros excipias, qui sunt tres. Haec non eodem, quo relata sunt, ordine, sed temporum quantum possumus ratione habita paucis explicabimus.

a) Ac CONSOLATIONEM AD MARCIAM idcirco primam ponimus, quod eorum, quae exstant, primum scriptum esse credimus, cum ante exilium, Caligula principe, Seneca eam ad Marciam, Cremuti Cordi, insignis rerum scriptoris, filiam, misisse videatur, ut eius vehementem ac diuturnum animi dolorem ob filii mortem dictis levaret.

b) Ante exilium fortasse etiam DE IRA tres illi libri scripti sunt ad Novatum fratrem, quorum duobus primis non solum animi motus ac praesertim ira unde oriantur et quatenus sint hominibus eorumque voluntati tribuenda crimini, subtili quadam animorum investigatione nixus, aperit atque explicat; sed etiam homines hortatur ut iniurias non iniuriis repensent, sed despiciant ac fere dissimulent. « Multi — inquit — leves iniurias altius sibi demisere dum vindicant: ille magnus et nobilis, qui more magnae ferae latratus minorum canum securus exaudit ». (De ira II, 32). Tum tertio libro, postquam irati hominis ipsiusque irae turpitudinem descripsit, quae sint remedia adhibenda docet. Iram vincendam esse. « Pugna — inquit — tecum ipse; si vis vincere iram, non potest te illa. Incipis vincere, si absconditur, si illi exitus non datur. Signa eius obruamus et illam, quantum fieri potest, occultam secretamque teneamus. Cum magna id nostra molestia fiet; cupit enim exilire et incendere oculos et mutare faciem; sed, si eminere illi extra nos licuit, supra nos est. In imo pectoris secessu recondatur, feraturque, non ferat; immo in contrarium omnia eius indicia flectamus: vultus remittatur, vox lenior sit, gradus lentior: paulatim cum exte-

rioribus interiora formantur ». (III, 13). Huc multa accedunt irae et victae et vincentis exempla. Tum Caligulae amentem illam saevitiam acriter ille quidem reprehendit, hominesque ad pacem et animi mansuetudinem hortatur.

c) Hoc opus fortasse sequitur CONSOLATIO AD HELVIAM, qua exul matrem consolari conatur, relegationis poenas verbis minuendo. Nihil aliud exilium esse nisi loci mutationem. Hanc quamvis sequantur incommoda, paupertas, ignominia, contemptus, tamen suam exuli virtutem adesse. Illi, virtutibus instructo, quamvis angustam casam « lautissimum receptaculum » esse. Nec paupertatem nec ignominiam nec contemptum esse mala. Matrem deinde laudat atque hortatur ut exempla capiat a Cornelia illa, Gracchorum matre, et a Rutilia, clarissima femina, quae in filiorum funeribus fortissimum animum, quamvis mulieres, praebuerint. Hoc in opere sedati quidem animi sensus, magna erga matrem pietas, magna quaedam ac blanda mentis mollitia; praeter cetera tamen ingens illa adversus fortunam animi fortitudo iam nitet, quam ille multis in operibus miro quodam artificio animique ardore laudavit. « Numquam — inquit — ego fortunae credidi, etiam cum videretur pacem agere: omnia illa quae in me indulgentissime conferebat, pecuniam, honores, gratiam, eo loco posui, unde posset sine motu meo repetere... Itaque abstulit illa, non avolsit ». (Cons. ad Helv. V. 4).

d) Ab hac vero animi fortitudine eum haud multo post defecisse CONSOLATIO AD POLYBIUM, Claudii libertum, ostendit, quippe qua multis abiectisque adulationibus et Polybio et Claudio blandiatur, occasionem, ut videtur, nactus Polybi dolorem ob amissum fratrem levandi, ut reditum ab exilio impetraret. Profecto nondum ille animum, stoicorum praecepta cogitando, satis firmaverat, ut exilium in aspera illa ac fere deserta insula fortiter ferret. Nec mirum est, si quidem fortes quoque viri nonnumquam, vel corporis vel animi cruciatibus fracti vel levandi doloris atque honores et gaudia vitae recipiendi inani spe impulsii, a virtute desciscunt.

e) DE BREVITATE VITAE librum quo anno scripserit, haud satis constat. Quibusdam tamen videtur eo ipso anno Seneca eum scripsisse, quo Romam ab exilio revoca-

tus est: eum enim putant vitae illius, quae tum Romae ageretur, vitiis et cupiditatibus et fallaciis obnoxiae, taedio captum hoc libro Paullino, annonae praefecto, suadere voluisse, ut a publicis negotiis recederet et sapientiae studiis vacaret. Utcumque res se habet, homines ille dicit de vitae brevitate falso queri: vitam ei, qui uti sciat, longam esse. Sed alios aliis vanis laboribus aut vitiis aut curis teneri: exiguam partem esse vitae, qua vivamus. « Ceterum quidem — inquit — omne spatium non vita, sed tempus est ». Haud recte homines secessum differre, quoad senectute aut senio conficiantur. Ita veram vitam ad nihilum fero redigi. Sapientem, quippe qui vanis cupiditatibus sit vacuus, vere vivere; ceteros tempus stultissime terere.

f) DE VITA BEATA libro a malevolentia criminantium, praesertim P. Suii, se ipse defendit. Nam Publius Suius orator fuit « imperitante Claudio terribilis ac venalis et mutatione temporum non quantum inimici cuperent demissus; quique se nocentem videri, quam supplicem mallet ».<sup>1</sup> Cum autem Seneca in summum locum anno fere LVIII iam pervenisset et Neronis gratia maxime polleret, ipse vero repetita Cincia lege adversus eos qui pretio causas oravissent in eo esset ut damnaretur, Senecam variis criminibus adortus est tamquam « infensum amicis Claudii, sub quo iustissimum exilium pertulisset. Simul studiis inertibus et iuvenum imperitiae suetum, vivere his, qui vividam et incorruptam eloquentiam tuendis civibus exercerent... Qua sapientia, quibus philosophorum praeceptis intra quadriennium Regiae amicitiae ter millies sestertium paravisset? Romae testamenta et orbos velut indagine eius capi. Italiam et provincias immenso faenore hauriri<sup>2</sup>... ».

Nec multo post, cum Suius « haud sine invidia Senecae » damnatus in insulas Baleares pulsus esset, hoc opus composuit, ut gravissima in se crimina refelleret atque retunderet. In quo omnes fatetur beate vivere velle, sed quid beatam vitam efficiat ignorare. Non vulgi, sed Stoicorum praecepta sequenda esse, qui bonum non voluptate,

1. Tac. Ann. XIII, 42.

2. Tac. Ann. XIII, 42.

sed virtute contineri doceant. Virtutem non indigere voluptate, sed, si « ista iunctura », virtutis cum voluptate, placeat, « virtus antecedit, comitetur voluptas, et circa corpus, ut umbra, versetur ».<sup>1</sup> Tum aliquem inducit omnia in se mala crimina colligentem, quae in eos fere conici solent, qui, cum nobilissima sapientiae praecepta aliis tradant, ipsi male se gerant. Quem ille tantum abest ut timeat et vereatur, ut etiam ita respondeat: « Adiuvabo postmodo convicia et plura mihi quam putas obiciam; nunc hoc respondeo tibi: “ non sum sapiens et, ut malivolentiam tuam pascam, nec ero. Exige itaque a me non ut optimis par sim, sed ut malis melior: hoc mihi satis est, cotidie aliquid ex vitiis meis demere et errores meos obiurgare. Non perveni ad sanitatem, ne perveniam quidem ” ».<sup>2</sup> Quin etiam hoc profitetur — ita tamen, ut malivolentiam illius pascere velle videatur —: « Ego in alto<sup>3</sup> vitiorum omnium sum ». Idem paulo infra: « De virtute — inquit — non de me loquor, et cum vitiis convicium, in primis meis, facio; cum potuero, vivam quomodo oportet... Ne virus quidem istud quo alios spargitis, quo vos necatis, me impediet quo minus perseverem laudare vitam, non quam ago; sed quam agendam scio, quo minus virtutem adorem et ex intervallo ingenti reptabundus sequar ».<sup>4</sup> Quod autem ad divitias attinet, quas ille traditur mirum in modum coacervasse, sapiens « non amat — inquit — divitias, sed mavult; non in animum illas, sed in domum recipit. Nec respuit possessas, sed continet et maiorem virtuti suae materiam subministrari vult ».<sup>5</sup> Praeterea divitias sapienti servire, vulgo imperare. Extremo denique hoc in opere Socrates ita inducitur, ut in eos, qui veritatem et virtutem falso criminantur, vehementer invehatur.

Illud addam, totum fere hunc librum acri quadam animi vehementia scriptum esse.

g) Eodem fere anno, ut videtur, id opus composuit, quod DE CONSTANTIA SAPIENTIS inscribitur; quo illud in

1. Sen. De vita b. XIV.

2. Sen. De vita b. XVII.

3. Scil. « In abisso quodam » vel italice « nel profondo ».

4. Ibid. XVIII.

5. Ibid. XXI.

primis defendit, tutum esse sapientem, nec ulla affici aut iniuria aut contumelia posse. Qua sententia suos inimicos, nondum illa Suili poena ad silentium aut reverentiam adductos, deterrere profecto voluit. Neque tamen negat ullos ictus a sapiente recipi. Nam « alia sunt — inquit — quae sapientem feriunt, etiam si non pervertunt, ut dolor corporis et debilitas aut amicorum liberorumque amissio et patriae bello fragrantis calamitas: haec non nego sentire sapientem, nec enim lapidis illi duritiam ferrive asserimus. Nulla virtus est, quae non sentias perpeti. Quid ergo est? quosdam ictus recipit, sed receptos evincit et sanat et comprimit; haec vero minora ne sentit quidem, nec adversus ea solita virtute utitur dura tolerandi, sed aut non adnotat aut digna risu putat ».<sup>1</sup>

h) Hactenus vero, quamvis a malivolis lacessitus, maiore potentia pollebat, quam ut inimicos timeret. Postquam vero res in peius mutari coeperunt, et Burrus, cuius probitate et opibus magna ille ex parte nitebatur, de vita decessit, Seneca sensit animum sibi tum maxime firmandum et ad extrema pericula parandum esse. Eo igitur tempore, ut videtur, librum DE TRANQUILLITATE ANIMI scripsit, in quo Annaeum Serenum fingit secum ita colloquentem — hic enim liber unus aliquam praebet dialogi speciem — ut animum suum, multis curis, multis dubiis et anxietate inquietum, aperiat. Nobis vero legentibus haec animi condicio non tam Sereni quam ipsius Senecae videtur eo quidem tempore fuisse, Seneca autem non tam amico quam sibi ipse scribere, ut viam ostendat qua ad tranquillitatem animi, quamvis turbulentis coortis in re publica tempestatibus, perveniri possit.

i) Cum autem a. LXII in secessum se recepisset et malivolum inimicorum exultantium gaudium percrebresceret, librum DE OTIO scripsit, quo ab illis se defendit, qui eum incusabant, quod a re publica secedens a Stoicorum praeceptis descivisset et ad Epicureorum sectam accessisset. Hoc ille negat. Nam, ut ipsius verbis utar, « Epicurus ait: — Non accedet ad rem publicam sapiens, nisi si quid intervenerit. — Zenon ait: — Accedet ad rem pu-

1. De const. Sap. X.

plicam, nisi si quid impedierit. — Alter otium ex proposito petit, alter ex causa. Causa autem illa late patet: *si res publica corruptior est, quam ut adiuvari possit*, si obscurata est malis, non nitetur sapiens in supervacuum nec se nihil profuturus impendet; si parum habebit auctoritatis aut virium, nec illum erit admissura res publica, si valetudo illum impediet, quo modo navem quassam non deduceret in mare, quo modo nomen in militiam non daret debilis, sic ad iter, quod inhabile sciet, non accedet ». (De otio III).

Et paulo infra: « Hoc nempe ab homine exigitur, ut prosit hominibus; si fieri potest, multis; si minus, paucis; si minus, proximis; si minus, sibi ».

1) DE PROVIDENTIA librum dialogorum, qui appellantur, idcirco postremum ponimus quod postremis vitae annis videtur eum Seneca scripsisse ad Lucilium. In quo huic quaestioni respondet: « Quare multa bonis viris adversa eveniunt? » Atque illud defendit, nihil accidere bono viro mali posse. « Adversarum — inquit — impetus rerum viri fortis non vertit animum: manet in statu, et quidquid evenit in suum colorem trahit; est enim omnibus externis potentior ». (De prov. II). Adversas res idcirco accidere ut bonorum virtus exerceatur, probetur, augeatur. « Marcet — inquit — sine adversario virtus ». « Non quid, sed quemadmodum feras, interest ». « Non video quid habeat in terris Iuppiter pulcrius, si convertere animum velit, quam ut spectet Catonem, iam partibus non semel fractis, stantem nihilo minus inter ruinas publicas rectum ».

B) Hactenus de DIALOGIS quos appellant. Nunc, ut reliquorum operum mentionem faciamus, LUDUS DE MORTE CLAUDII anno LIV videtur scriptus esse, paulo post ipsam Claudii mortem. Singulare utique opus, quod, cum versibus sit et prosa oratione mixtum, saturis Menippeis, quas appellant, ab omnibus fere qui intellegunt assimilatur. Ceterum, si magna hoc in opere vis comica inest et festivitas et dicacitas, adeo ut Senecae ingenium etiam ad satiricum genus aptissimum fuisse videatur, tamen ipsi non est profecto laudi tribuendum, quod tanta cum verborum acerbitate in eum mortuum invectus est, quem haud multo ante in Consolatione illa ad Polybium tam stultis laudibus extulisset. Quamquam vero apud Dionem Cassium, ut

supra diximus, scriptum legimus, hoc opus suam inscriptionem a cucurbita duxisse, nusquam tamen videmus Claudium in cucurbitam mutari; quam ob rem dubitare licet an non totum opus ad nos pervenerit, aut Seneca id inchoatum reliquerit. Utcumque res se habent, narrat ille Claudium post mortem, cum « non passibus aequis<sup>1</sup> » in caelum ivisset, ibique dubitationem et stuporem et certamina deorum excitasset, ab Hercule defensum, sed ab Augusto incusatum quod multos ab illo ortos capite damnasset, postremo a Mercurio ad inferos tractum esse. Illic, quod triginta senatores, ducentos equites morte multasset, ab Aeaco ita damnatum, ut alea luderet, talos in fritillum iaciendo fundo carentem; tum a Caligula, qui confirmasset eum in terris a se multis saepe verberibus atque alapis caesum esse, primo tamquam servum esse expostulatum atque iudicio receptum; deinde, Aeaco et ab Aeaco Menandro, cuidam liberto, donatum, tandem scribam iudicalem factum esse.

Hac vero satira Seneca non solum Claudii mordet corporis animique vitia, ac praesertim inconstantiam, levitatem, saevitiam, ineptitudinem, credulitatem, sed etiam aliorum hominum, ut causidicorum, mores, multis facetiis et salibus irridet.

C) Ne libri quidem DE CLEMENTIA, qui tres fuerunt, integri ad nos pervenerunt. Hos exunte fere anno LV ad Neronem scripsit, quo Principem vix pueritiam egressum hortaretur, ut in re publica administranda eam viam ingrederetur, qua hominum societatem in melius proveheret, iustitiam et moderationem adhibendo ac conciliando. Idcirco autem clementiam sibi sumpsit laudandam, quod in adolescentis ingenio insitam fortasse saevitiam quandam statim ille introspexit. Itaque clementiam ostendit praecipuam esse virtutem cum hominis tum illius, qui rem publicam regat; clementia imperi inimicos facilius coerceri quam saevitia et poenis; in clementia plus inesse et decoris et securitatis. Neque tamen omnibus semper parcendum esse. Praeterea humanitatem etiam in servos esse adhibendam.

1. His verbis claudicantem Principem irridet.



D) Septem DE BENEFICIIS libros ad Ebutium Liberalem post secessum scripsit; quin etiam liber septimus quibusdam tum videtur dictatus esse, cum Seneca, iam sec-tis venis, moriens, ut supra diximus, scriptores ad se arces-siverit. Atque in primis beneficium ille ita definit. « Bene-vola — inquit — actio, tribuens gaudium capiensque tri-buendo, in id quod facit prona et sponte sua parata. Ita-que non quid fiat aut quid detur refert, sed qua mente, quia beneficium non in eo, quod fit aut datur, consistit, sed in ipso dantis aut facientis animo ». Docet deinde quae beneficia, quemadmodum tribuere oporteat. « Sic demus quomodo vellemus accipere », id est libenter, cito, sine dubitatione. Tum de animo et grato et ingrato agit. Ho-mines superbia, cupiditate, invidia ingratos effici solere. Si beneficia accepta rependi non possint, voluntatem suf-ficere. Grato animo etiam oblivionem obstare; propterea praeceptoris beneficia gratos animos raro invenire. Etiam servos in dominos beneficia conferre posse. Nam hic quo-que Seneca occasionem nanciscitur, ut servorum condicio-nem defendat. « Errat — inquit — si quis existimat servi-tutem in totum hominem descendere. Pars melior eius excepta est; corpora obnoxia sunt et adscripta dominis, mens quidem sui iuris... Nec enim aut nos omnia iubere possumus aut in omnia servi parere coguntur ». In illo tan-dem libro septimo, Neronem profecto significans, affirmat benefactori, qui pessimus factus sit, beneficia accepta resti-tuere oportere, nec quidquam commune cum eo habere, qui « sanguine humano non tantum gaudet, sed pascitur, sed et suppliciis omnium aetatium crudelitatem insatia-bilem exercet, nec ira, sed aviditate quadam saeviendi, furit... Quidquid erat, quo mihi cohaereret, intercisa iuris humani societas abscidit ».

E) NATURALIUM QUAESTIONUM libris septem,<sup>1</sup> quos ipsos postquam a republica secessit ad Lucilium misit, ignis, tempestatum, fulminum, aquarum quibus terrae obductae sunt, grandinis, nivium, nubium, ventorum, ter-rae motuum, cometarum denique naturam ille quidem per-vestigavit, Posidonium praecipuum auctorem secutus, sed

1. Vel octo, ut in quibusdam manuscriptis.

etiam iis rerum naturae studiis fretus, quibus, iuvenis admodum, operam dederat.

Haec vero ita explicat et disponit, ut hoc etiam in opere eundem philosophum agnoscas, qui tam multa de moribus scripserit.

*F)* **EPISTULARUM MORALIUM AD LUCILIUM** libros viginti<sup>1</sup> sunt qui optimum omnium Senecae operum haud immerito iudicant. Quos ille extremis vitae annis scripsit. Quodsi eos ad Lucilium misit, non uni, sed omnibus hominibus consuluit, neque solum suae, sed etiam futuris aetatibus. Hic pulcherrimae sententiae; hic mirum quantum sapientiae, fortitudinis, constantiae, ingeni acuminis; hic quaestiones maximi momenti, de hominum vita, de temporis celeritate et praetio, de animorum dignitate et maiestate, de universi mundi ratione, de natura dei. Quam multa et excelsa ille docet atque defendit! Nec mirum est, traditum esse aliquid commercii eum cum Sancto Paulo habuisse. Quodsi inter Christi doctrinam et Senecam permultum interest, multa tamen apud Senecam legimus Christiano digna, ut in epistula CII: « Per has — inquit — mortalis aevi moras illi meliori vitae longiorique proluditur... In alium maturescimus partum. Alia origo nos expectat, alius rerum status. Nondum caelum, nisi ex intervallo, pati possumus. Proinde intrepidus horam illam decretoriam prospice: non est animo suprema, sed corpori. Quidquid circa te iacet rerum, tamquam hospitalis loci sarcinas specta: transeundum est... Dies iste, quem tamquam extremum reformidas, aeterni natalis est. Depone onus: quid cunctaris, tamquam non prius quoque relicto, in quo latebas, corpore exieris? Haeres, luctaris: tum quoque magno nisu matris expulsus es... ».

*G)* Restat ut de **TRAGOEDIIS** pauca dicamus. Quamquam igitur decem ad nos sub Senecae nomine tragoediae pervenerunt, **HERCULES FURENS**, **TROADES**, **PHOENISSAE**, **MEDEA**, **PHAEDRA**, **OEDIPUS**, **AGAMEMNON**, **THYESTES**, **HERCULES OETAeus**, **OCTAVIA**, haud magnis de causis diu dubitatum est, an non Senecae tribuendae essent.

---

1. Cum autem Aulus Gellius (Noct. Att. XII, 2, 3) locum quendam e libro XXII proferat, licet dubitare an plures ille scripserit.

Nunc vero nemo fere dubitat, quin novem priores Seneca scripserit; OCTAVIAM negant ei tribui posse, cum quaedam in hac fabula aperte significantur, quae post Senecae obitum evenerint. Atque illud dignum est, quod animadvertas: novem illas cothurnatas omnes, hanc praetextam esse. Ex omnibus autem Latinorum poetarum tragoediis nonnisi hae pervenerunt ad nos; quae tamen non ut in theatris agerentur scriptae videntur esse, sed ut recitarentur: neque enim res quasi agantur, sed quasi narrentur in iis exponuntur; et loci sunt plurimi gravium sententiarum disputationumque pleni. Ille enim Euripidis rationem non solum imitatus est, sed etiam in deterius quodammodo mutavit, illius vitia, si modo tragoediarum vim atque naturam respicias, augendo. Seneca igitur veteres illas veterum fabularum personas ita loquentes inducit, ut Stoicorum fere omnes praecepta defendant aut refellant et homines doctos se praebeant. Neque vero deest vehementia quaedam aut animi motuum ardor atque impetus, sed ad oratorium plerumque quam ad tragicum genus propius accedit. Ne chori quidem desunt, sed, parvo nexu cum actione coniuncti, parum ad rem pertinent. Res saepe nefandae narrantur, tam atrociter et saeve gestae, ut vix credi possint, et mirabilibus verbis augentur atque in maius extolluntur. Multa tamen insunt, ex quibus colligas virum magni ingeni eas scripsisse animique ingentis, ut minime dubites quin Seneca dignae sint.

OCTAVIAM denique ignoramus quis scripserit; illud dubitari non potest, quin ille Senecam et admiratus et in componenda fabula imitatus sit; eadem enim insunt vitia, eadem fere virtutes. Hoc autem unum omnium fabularum praetextarum exemplar manet, quamquam et ipsum theatro parum aptum.

Nunc vero postquam Senecae opera recensuimus, pauca de eius genere scribendi dicenda sunt. Id nemo fere ignorat a Cicerone longissime abesse. Cicero enim verborum ambitus plerumque ita componit, ut multae singulis sententiae inter se mirum in modum conexas contineantur, suo quaeque loco dispositae, ac numerose cadentes. Itaque eius opera legentes, fieri non potest quin animi quaedam auriumque, ut ita dicam, voluptate capiamur; quam-

quam nonnihil interdum satietatis et taedi sentimus, seu quod maiorem simplicitatem desideramus, seu quod cum mira illa dicendi elegantia est aliquid acquabilitatis coniunctum. At Seneca verborum ambitus plerumque breves, nonnumquam brevissimos adhibet, sententias adiungit saepius quam subicit, leniterque procedit: idem in verbis deligendis ita subtili atque attento iudicio utitur, ea adhibet lumina verborum, tot tamque pulcris verborum sententiarumque translationibus ornat omnia, ut legentis mentem animumque mirum in modum permoveat. Fuerunt tamen quibus hoc orationis genus displiceret, praesertim cum Ciceronis rationem scribendi conarentur iterum commendare ac quodam modo restituere. In primis Quintilianus; qui Flaviorum aetate, cum discipulos saepe hortaretur, ut Senecae opera omitterent, Ciceronem assidue legerent, ita visus est Senecae adversari, ut famam ac nomen detractoris apud nonnullos sibi comparaverit. Quod ex illo « Institutionis oratoriae » loco colligitur, quem hic operae pretium est referre. Ille enim, postquam in libro X ceteros poetas et scriptores paucis recensuit, « Ex industria — inquit — Senecam in omni genere eloquentiae distuli, propter vulgatam falso de me opinionem, qua damnare eum et invisum quoque habere sum creditus. Quod accidit mihi, dum corruptum et omnibus vitiis fractum dicendi genus revocare ad severiora iudicia contendo: tum autem solus hic fere in manibus adolescentium fuit. Quem non equidem omnino conabar excutere, sed potioribus praeferrere non sinebam, quos ille non destiterat incessere, cum diversi sibi conscius generis, placere se in dicendo posse iis, quibus illi placerent, diffideret. Amabant autem eum magis quam imitabantur, tantumque ab eo defluebant, quantum ille ab antiquis descenderat. Foret enim optandum pares aut saltem proximos illi viro fieri. Sed placebat propter sola vitia, et ad ea se quisque dirigebat effingenda, quae poterat; deinde, cum se iactaret eodem modo dicere, Senecam infamabat. Cuius et multae alioqui et magnae virtutes fuerunt, ingenium facile et copiosum, plurimum studii, multa rerum cognitio, in qua tamen aliquando ab his, quibus inquirenda quaedam mandabat, deceptus est. Tractavit etiam omnem fere studiorum ma-

teriam; nam et orationes eius et poemata et epistolae et dialogi feruntur. In philosophia parum diligens, egregius tamen vitiorum insectator fuit. Multae in eo claraeque sententiae, multa etiam morum gratia legenda; sed in eloquendo corrupta pleraque atque eo perniciosissima, quod abundant dulcibus vitiis. Velles eum suo ingenio dixisse, alieno iudicio: nam, si obliqua contempsisset, si parum recta non concupisset, si non omnia sua amasset, si rerum pondera minutissimis sententiis non fregisset, consensu potius eruditorum, quam puerorum amore comprobaretur. Verum sic quoque iam robustis et severiore genere satis firmatis legendus vel ideo, quod exercere potest utrimque iudicium. Multa enim, ut dixi, probanda in eo, multa etiam admiranda sunt, eligere modo curae sit, quod utinam ipse fecisset! Digna enim fuit illa natura, quae meliora vellet: quod voluit, effecit ». <sup>1</sup>

Nos vero in hoc Quintiliani iudicio, quamvis ille studeat reprehensiones attenuare, videmus tamen aliquid severitatis et acerbitatis inesse, adeo ut Senecam « damnare et invisum quoque habere » non immerito creditus esse videatur. Neque possumus cum eo ita consentire, ut quaedam reprehendamus, quae nobis non tamquam vitia, sed tamquam orationis virtutes probantur.

### Aulus Persius Flaccus.

Satiram post Horatium plures coluerunt, ex quibus maximam sibi famam tres vel poetae vel scriptores comparaverunt: AULUS PERSIUS FLACCUS et PETRONIUS ARBITER et, aliquanto post, DECIMUS IUNIUS IUVENALIS: adde poetam Satirarum generi proximum, VALERIUM MARTIALEM. Iuvenalem tamen et Martialem, cum posterioribus temporibus vixerint, differimus; nunc de duobus illis prioribus pauca dicemus, ac prius de Persio Flacco. Qui anno XXXIV Volaterris, in Etruria, nobili ac satis diviti loco natus, ubi primum adolevit, cum Romam migravisset, Annaeum Cornutum, Stoicum philosophum, tantam cum diligentia et benevolentia et admiratione audivit,

---

1. Quint. Inst. X, 1, 125-131.

ut eius praecepta ac disciplinam eum in suum, ut ita dicam, sanguinem convertisse dicas. Idem matrem, cui nomen fuit Fulvia Sisennia, et sororem aliosque familiares constanti quodam ac suavissimo amore coluisse traditur, multisque viris doctis aut singulari virtute praeditis, ut Caesio Basso, ut Lucano, ut Thrasea Pacto familiariter usus esse, miro quodam animi candore praeclarus atque omnibus carus. Cuius vita brevissima fuit; nam anno LXII, octo et viginti annos natus, nescio quo morbo correptus — ex stomacho eum laboravisse traditum est — in villa quadam decessit, quam apud urbem possedit.

Sex ille satiras scripsit<sup>1</sup> — postremam vero inchoatam reliquit — quas Caesius Bassus post eius mortem edidit. Has quidem fuerunt qui laudibus celebrarent, ut recentiore aetate Vincentius Monti, poeta noster; at plerique eorum, qui intellegunt, haud magni faciunt, quod nulla fere in iis hominum vitae atque morum cognitio sit, sed mera praecepta a rerum usu remota, puerilem fere disciplinam olentia. Quibus ego quidem haud plane assentior, cum mihi iudices severiores esse videantur. Quodsi parum in his satiris festivitatis, parum aut nihil facetiarum inest, parum artis in verbis deligendis, parum urbanitatis, parum denique, ut supra diximus, experientiae rerum, in eo tamen tam vehementem invenias virtutis amorem, tantum vitiorum et illecebrarum odium, ut saepe sentias eum poetico quodam spiritu atque impetu inflammari; adde quod alternis sermonibus ita utitur, ut singularem quandam vim ac brevitatem assequatur. Persium autem etiam in eo reprehendunt, quod obscurus sit. Fateor, sed interdum, sed multo minus quam illi opinantur. Itaque ut paucis concludam, censeo hunc poetam non maximis laudibus, sed tamen laudibus dignum esse. Quin etiam subest suspicio Persium ab aliquo idcirco severius iudicari, quod virtutem vehementer amaverit, virtutem, inquam, heu non omnibus aequae caram.

Utcumque res se habent, satiris ille quattuordecim versus *χωλιάμβους*, id est senarios claudos, praeposuit, qui-

1. Scripsisse videtur etiam fabulam praetextam et narrationem cuiusdam itineris.

bus et se negat esse magnum poetam et multos queritur fame aut pecunia ad carmina impelli.

Quodsi dolosi spes refulgeat nummi,  
corvos poetas et poetridas picas  
cantare credas Pegaseium nectar. (Prol. 12-14)

Satirarum argumenta nescioquis veterum grammaticorum hexametris brevissime ita significavit:

*Prima* leves carpit vates mollemque Neronem.  
Carpit avaritiae mala vota precesque *secunda*.  
*Tertia* desidiam iuvenum pastusque lacescit.  
In *quarta* stultus rex censoresque notantur.  
Cornutum laudans aperit *penultima* sensus.  
In *sexta* heredi taxat nimium cumulantiem.

Hae autem inscriptiones uniuscuiusque ordine traditae sunt:

Vates, Vota, Ignavus, Princeps, Liber, Avarus.

Prima igitur, in qua ab Horati Satirarum prima libri secundi initium quodammodo videtur sumpsisse, malos praesertim poetas ille quidem irridet, et Satirarum genus adversus cautorum hominum consilia defendit, Lucili et Horati viam ingressus: se ridere velle. Sunt quaedam in hac satira, quibus Neronem, quamvis operte, mordere voluisse nonnullis visus est.

Secunda eos reprehendit qui a diis parum honesta votis petere non dubitent, quae ab hominibus audiri nolint: eos impiam de diis opinionem habere, cum eis et alia vitia et auri illam aviditatem attribuant, qua ipsi ita laborant, ut omnia fere auro corruerint.

O curvae in terris animae et caelestium inanes!  
quid iuvat hoc templis nostros immittere mores  
et bona dis ex hac scelerata ducere pulpa?...  
.....

Quin damus id Superis, de magna quod dare lance  
non possit magni Messalae lippa propago,  
compositum ius fasque animi, sanctosque recessus

mentis, et incoctum generoso pectus honesto?  
haec cēdo ut admoveam templis, et farre litabo.<sup>1</sup>

In tertia satira adulescentem quendam ignavum ac genus iactantem inducit usque ad quintam dormientem, eumque monet ut studiis det operam, cum adhuc facile fingi possit.

Udum et molle lutum es, nunc properandus et acri  
fingendus sine fine rota.<sup>2</sup>

Neque divitias neque nobile genus eum studiis philosophiae eximere. Ne gloriatur igitur: multa enim extare exempla, quae doceant ad extremam perniciem superbia et ignavia homines deduci. At in sapientia animi salutem inesse. Quodsi vulgus eam irrideat atque contemnat, eius contemptum cum stultis hominibus comparari posse, qui cum medici consilia spreverint, acerba morte corripiantur. Arma igitur adversus cupiditates sumenda ac praesertim adversus avaritiam, luxuriam, gulam, socordiam, iram.

Satira quarta, quae est brevissima omnium, a Platonis dialogo qui *Alcibiades prior* inscribitur, ut videtur, initium sumit. Hic quidam inducitur iuvenis, vel potius Socrates ipse iuvenem monens, qui « rem populi », ut Alcibiades, tractare cupiat neque se ipse cognoverit. Ex hac nescientia sui multa vitia, multa mala in rem publicam redundare. Sunt qui Persium sub Alcibiadis persona Neronem eiusque vitia dissimulavisse putent, nec immerito.

Quintam de vera libertate ad L. Annaeum Cornutum scripsit. Libertatem sapientia contineri, cum sapiens tantum a cupiditatibus se liberare possit. Maximas igitur Cornuto gratias agit, cum ab eo libertatem ipse didicerit. Quin etiam in duas partes haec satira dividi potest, quarum priore magistrum suum ille quidem maximis laudibus celebrat, altera vero Stoicorum praecepta rursus explicat, quibus libertas efficiatur.

1. II, 61-63 et 71-75: his concluditur satira.

2. III, 23-24.



Hic hic quod quaerimus, hic est,  
 non in festuca<sup>1</sup> lictor quam iactat ineptus.  
 (V. 174-175).

Sextam demum ad Caesium Bassum scripsit, cuius lyricam venam et artem laudat. Se Lunae, in Ligustica ora, tum morari « securum vulgi et quid praeparet auster – infelix pecori... ». Neque enim contondere, ut ingentes opes heredi relinquat, sed re familiari recte uti. Quodsi heres queratur, plura se largiturum esse, paratum vel ignoto omnia relinquere, ut avari cupiditatem eludat.

Haec fere sex illis Persi satiris continentur. Genus autem scribendi, ut supra diximus, interdum subobscurum, praesertim in satiris I, IV, VI; haec tamen obscuritas ex eo videtur orta esse, quod multa aperte significari ea aetate non potuerunt, ea praesertim, quae ad Neronis vitia pertinerent: ipse igitur illud petit, ut sibi concedatur *opertum ridere*. Sermo plerumque purus ut Horati imitatorum decuit, ita tamen, ut apud eum nunnulla verba invenias aut nusquam alibi adhibita aut a sua prisca vi plus minusve detorta aut minus callide inter se coniuncta.<sup>2</sup> Sunt etiam qui Persium accusent, quod, tribus praesertim locis, quaedam obscene dixerit. Fateor; sed multo minus quam Horatius, sed ut a vitiis homines deterreret. Quid, si eum cum Petronio compares? Neque facere possum quin Dantis nostri de Persio opinionem memorem, cum eum inter paucos annumeraverit, qui ad Vergilium proximo accederent.<sup>3</sup>

### Petronius Arbiter.

Quis vere fuerit, haud satis constat, sed post diuturnas quasdam et varias doctorum hominum controversias omnes fere eo inclinant, ut credant eundem esse, quem Tacitus in Annalium libro XVI (cap. 18 et 19) tamquam virum insolentibus et vitiis et virtutibus praeditum tra-

1. Scil. « vindicta », qua apud praetorem lictor servum tangendo in libertatem vindicabat.

2. Cfr. Kuster, De A. Persi Flacci elocutione tria opuscula. Löbau 1894-96-97.

3. Div. Com. Purg. XXII, 100-102.

didit. Ille enim « De C. Petronio — inquit — pauca supra repetenda sunt. Nam illi dies per somnum, nox officiis et oblectamentis vitae transigebatur: utque alios industria, ita hunc ignavia ad famam protulerat: habebaturque non ganeo et profligator,<sup>1</sup> ut plerique sua haurientium, sed erudito luxu. Ac dicta factaque eius, quanto solutiora et quandam sui negligentiam praeferebant, tanto gratius in speciem simplicitatis accipiebantur. Proconsul tamen Bithyniae et mox consul vigentem se ac parem negotiis ostendit. Dein revolutus ad vitia, seu vitiorum imitatione, inter paucos familiarium Neroni adsumptus est, *elegantiae arbiter*, dum nihil amoenum et molle adfluentia putat, nisi quod ei Petronius adprobavisset. Unde invidia Tigellini<sup>2</sup> quasi adversus aemulum et scientia voluptatum potioem. Ergo crudelitatem Principis, cui ceterae libidines cedebant, adgreditur, amicitiam Scevini Petronio obiectans, corrupto ad indicium servo ademptaque defensione et maiore parte familiae in vincla rapta. (XIX). Forte illis diebus Campaniam petiverat Caesar, et Cumas usque progressus Petronius illic adtinebatur.<sup>3</sup> Nec tulit ultra timoris aut spei moras. Neque tamen praecipua vitam expulit, sed incisas venas, ut libitum obligatas, aperire rursus et adloqui amicos, non per seria aut quibus constantiae gloriam peteret. Audiebatque referentes nihil de immortalitate animae et sapientium placitis, sed levia carmina et faciles versus. Servorum alios largitione, quosdam verberibus affecit. Inuit epulas, somno indulisit, ut, quamquam coacta, mors fortuitae similis esset. Ne codicillis quidem — quod plerique pereuntium — Neronem aut Tigellinum aut quem alium potentium adulatus est;<sup>4</sup> sed flagitia Principis sub nominibus exoletorum feminarumque et novitate cuiusque stupri, perscripsit atque obsignata misit Neroni, fregitque anulum,<sup>5</sup> ne mox usui esset ad facienda pericula ».

1. Ganeo, Italice: «crapulone»; profligator: «dissipato».

2. Idem quem de Senecae vita iam memoravimus.

3. Id est: iussus ibi morari.

4. Idcirco «plerique pereuntium» Neronem adulari solebant, ut propinquis parceretur.

5. Quo integro malivoli uti poterant, ut alios falso accusatos perderent.

Haec Tacitus. Quae ita consentanea sunt Satyricon et materiae et personis, ut non solum difficile sit dubitare an Petronius scriptor non idem sit qui tam singularis apud Tacitum apparet, sed etiam, qui haec duo Taciti Annalium capita legerit, is incertam quandam operis vel potius praecipuae operis notae notitiam acceperit. Neque enim fortis cuiusdam viri virtutibusque praediti opus illud dixeris, sed ab eo homine scriptum, qui magni quidem fuerit ingeni, sed perturbati, parum sibi constans, ad morum depravationem inclinis, Epicureorum magis quam Epicuri doctrinam secutus. Itaque, quam rerum repugnantiam in homine videmus, quem Tacitus descripsit, eandem fere in iis quidem Satyricon partibus invenimus, quae ad nos pervenerunt. Neque enim totum opus, sed, ut ex codice quodam apparet, quae reliquiae exstant, e libris XV et XVI decerptae sunt: hae tamen compluribus paginis continentur. In quibus Encolpius, libertus quidam veterator et nequam, iter narrat, quod cum Ascilto et Gitone, scelestis hominibus, per Campaniam aliasque Magnae Graeciae, quam appellant, regiones ita fecerit, ut multa sceleste et flagitiose admitterent; in iis autem, quibus occurrunt, Eumolpum quendam poetam videmus, hominem non parvi ingeni, sed mutabilem, scelestum, voluptatum cupidum eundemque poeticae ceterarumque liberalium artium amantem. Hic, cum se magnum esse poetam putet, duo poemata pangit, quorum alterum, brevius,<sup>1</sup> de *Troiae halōsi*, vel de Troia capta, alterum, quo CCXCV hexameteris continetur, de *bello civili* est. Quibus carminibus an poetarum eiusdem aetatis poemata per ridiculum detorque voluerit, multi et docti viri dubitant; qui Petronium censent *Troiae halosi* Neronis ἄλωσιν Ἰλίου, *bello civili* Pharsaliam Lucani in risum deflectere voluisse. Contra non desunt qui duo illa poemata extra iocum composita esse putent, tamquam bonae poeticae exemplaria. Quae dubitatio, quamvis mira ac nova in primis esse videatur, idcirco tamen est digna quae excusetur, quod totum opus, ut supra diximus, rebus novis ac miris et inter se repugnantibus abundat. Adde quod Eumolpus ille multa de

1. LXIII trimetri iambici sunt.

poetica ac de sano in litteris iudicio sapienter dicit, idemque non multo post perditum hominem se praebet; tantaque cum libertate vel potius licentia recta cum pravis, turpia cum honestis saepissime hoc in opere misceri videmus, tanta cum securitate et aequabilitate omnia vel foedissima narrantur, ut is, qui legit, saepe nesciat vel dubitet quid Petronius voluerit, atque illud queratur, in eo tam acutum quidem, sed tam incompositum atque inconditum fuisse ingenium.

At maioribus sane laudibus illa Satyricon pars est digna, quae CENA TRIMALCHIONIS (cap. XXVII-LXXVIII) inscribi solet. Trimalchio enim, infimo loco ortus — nam libertus fuit — cum ingentes coacervaverit divitias, sed ineptam illam animi, ut ita dicam, rusticitatem minime deposuerit, id contendit, ut convivis admirationem ac stuporem moveat, se affluentem nova et insolenti et gravi et insana luxuria praebendo, cum in aedibus omni ornamento immodico auroque onustis, tum in epulis omni modo atque sano iudicio omissis sumptuosissime apparatis. Itaque dum omnium plausum atque admirationem laborat ut excitet, dum rudes atque infacetis facetias iactat, dum vilissimam sapientiam ostentat, id unum consequitur, ut occulte irrideatur atque spernatur. Hoc Trimalchione sunt qui putent non nisi Neronem mutato nomine occultari. Alii negant hoc verisimile esse, quod Nero, qui haud sane rudis bonarum artium fuerit, cum homine illo indocto comparari non possit. Qui mihi quidem parum persuadent. Neque enim omnia opus est Trimalchionis cum Nerone convenire, ut Petronium dicas sub illius nomine Principis vitia irridere voluisse; quin etiam inter omnes satis constat poetas atque scriptores aliquid fere rerum veritati vel detrahere vel addere solitos esse. Fuerit sane Nero nobilissimo loco ortus et bonis litteris imbutus, insano tamen iudicio multis in rebus utebatur, luxuria et auro diffluebat, potentiam et libidines iactabat, rerum novitate atque insolentia eos, qui aderant, percellere cupiebat, versus opportune importune proferebat; multa denique, quae Trimalchio, et ille faciebat. Quid mirum, si Petronius illud in primis significare voluerit, quae Nero faceret, ea etiam hominem ignobilissimo loco ortum eundemque in-

gentes divitias adeptum eādem fere insipientiā et iactantiā facere solere? Hoc Petronius, arbiter elegantiae, in primis intellegere potuit, quippe qui Principi diu suasisset ut in cupiditatibus explendis elegantiam quandam adhiberet atque inconditam illam animi rusticitatem pravumque iudicium exueret.

Utcumque res se habent, Cena Trimalchionis hac etiam de causa dignissima est mentione, quod multa plebei praesertim vulgarisque sermonis in ea invenimus, quae aliter ignoraremus, et tota fere narratio id dicendi genus ostendit, ex quo ipsum multorum illius aetatis hominum sermonem fere auribus audire vide ris. Praeterea omnes huius operis reliquiae et rebus et verbis a ceteris Latinarum litterarum operibus longe absunt, et cum ex prosa oratione et versibus constant — nam praeter duo illa, quae supra diximus, poemata alii XXX ferme loci, plus minusve breves, insunt variis versibus scripti — Satirarum Menippearum generi adscribi solent.

### M. Annaeus Lucanus.

Nunc vero, satirico genere parumper omisso, ad epicos eiusdem aetatis veniamus. Quorum primum nobis M. ANNAEUS LUCANUS se offert, qui Marco Annaeo Mela, L. Annaei Senecae fratre, anno XXXIX Cordubae natus, cum Romam puer venisset, praeter patrum etiam Annaeum Cornutum illum, quem supra diximus, magistrum habuit. Idem, cum magno ingenio praeditus esset et statim, ineunte adulescentia, cum in arte dicendi tum in poetica multum se posse ostenderet, Nerone fere aequali familiariter usus, plura in poeticis certaminibus praemia et, ante legitimam aetatem, quaesturam atque auguratum adeptus est; sed paulo post, cum ipse honoribus et poetica facultate immodice gloriaretur, et Neronis benevolentia atque admiratio in invidiam, docilitas in immanem saevitiam magis in dies mutata esset, postquam Seneca a Principis aula se removit, tanta inter duos illos iuvenes inimicitia atque simultas plus minusve occulta coorta est, ut et Princeps Lucanum sua carmina publice recitare vetuerit, et Lucanus ad Pisonis illam adversus principem

coniurationem accesserit atque in eam « vivida odia » intulerit.<sup>1</sup> Neque multo post, prodita coniuratione, Lucanus deprehensus, postquam diu abnuit, « promissa impunitate corruptus » Aciliam matrem suam tamquam coniurationis participem nominavit.<sup>2</sup> Denique iussus mori « profuente sanguine » — ut apud Tacitum (Ann. XV, 70) scriptum legimus — ubi frigescere pedes manusque et paulatim ab extremis cedere spiritum fervido adhuc et compote mentis pectore, intellegit, recordatus carmen<sup>3</sup> a se compositum, quo vulneratum militem per eiusmodi mortis imaginem obiisse tradiderat, versus ipsos retulit: eaque illi suprema vox fuit ». Itaque flagitium illud, quo matrem suam accusaverat, morte Stoico digna, vix XXVI annos natus, quodam modo redemit.

Cuius vividum ingenium plura profecto opera promiserat. Multa tamen iam scripserat, ex quibus magis sunt mentione digna SILVARUM libri decem et ILIACA et MEDEA tragoedia et ORPHEUS et FABULAE SALTICAE<sup>4</sup> quattuordecim: adde BELLUM CIVILE vel PHARSALIAM, quod epicum poema unum exstat, eiusque famam et gloriam apud nos etiam servat atque confirmat.

Ex decem illud libris constat, ita tamen ut decimo nondum finis impositus esse videatur. Quamquam vero poema ipse suum Pharsaliam appellat,<sup>5</sup> totum opus in codicibus *Bellum civile* inscriptum videmus. Neque enim tantum res usque ad Pharsalicam pugnam Pompeique necem narrat, sed etiam ea quae postea evenerunt nullum est dubium quin amplecti voluerit, cum extrema, quae maneat, poematis parte Caesar inducatur in Aegypto insidiis atque obsidione circumventus. Neque desunt qui dubitent, an ille bellum vel potius bella civilia usque ad Actiacam pugnam canere statuerit.

1. « Lucanum — inquit Tacitus (Ann. XV, 49) — propriae causae accendebant, quod famam carminum eius precuebat Nero, prohibueratque ostentare vanus aemulatione ».

2. Tac. Ann. XV, 56. Idem narrat Suetonius. Sunt tamen qui dubitent an tantum scelus Lucanus non admisit.

3. Versus fortasse Pharsaliae libri III, 635-747.

4. Genus quoddam carminum fuit, nostris « libretti » simile, quod pantomimi canerent.

5. Cfr. IX, 985: « Pharsalia nostra ».

Tamen ut de iis dicamus quae scripta legimus, in libro *primo* et magnam illam inter Pompeium ac Caesarem, mortuo Crasso, aemulationem videmus, et Caesarem Rubiconem transeuntem Ariminumque invadentem atque inde Romam iter facientem fere oculis aspiciamus. Tum Romanorum metus describitur et senatorum, civium, Pompeique ipsius fuga; prodigia denique infausta narrantur.

In *secundo* libro Brutus et Cato eiusque uxor, Marcia, ita colloquentes inducuntur, ut eorum animi fortitudinem admiremur. Interea Pompeius, qui in Campaniam cesserat dum Caesar totam fere Italiam occupat, Brundisium fugit. Frustra enim Domitius Caesaris iter atque impetum coercere conatus erat. Quin etiam a Corfiniensibus Caesari traditus et ab hoc libertate donatus, mortem praecoptavit. Neque multo post, cum Pompeius Italiam, quamvis ab inimico impeditus, reliquisset, Caesar Brundisium intravit.

In *tertio* Caesaris reditus in Urbem, et aerarium ab uno Metello fortiter defensum, et Massiliae obsidio, deinde, eius urbis obsidione Trebonio mandata, dum Caesar Hispaniam petit, Massiliensium proelia et virtus ac denique clades.

*Quarto* res a Caesare in Hispania et ab Antonio, eius legato, in mari Adriatico, et a Curione in Africa gestae continentur. Hic locos invenias magna laude dignos, qui admirationem moveant, ut versus illi sunt, quibus milites utriusque partis, et Petrei et Caesaris, castris utrimque haud procul locatis, inter se agnoscunt et manus iungunt et pocula miscent, donec Petreius suos abigit eosque alloquitur (vv. 167-235); ut etiam temptata illa noctu Caesarianorum fuga ratibus iunctis in Adriatico mari, cum ii, qui tertia rate vehuntur, a Pompeianis intercepti, inter se ipsi interficiunt (vv. 474-580).

In *quinto* libro multa de oraculo delphico et de Pythia, et Caesaris ab Hispania reditus, eiusque milites primum pacis desiderio tumultuantes, deinde Caesaris oratione confirmati, tum freti traiectio, et ad Dyrrachium castra locata, et deinde, morante Antonio in Italia, mirabilis ille Caesaris reditus, audentis fretum, sprete tempestate, cymba traicere; denique Cornelia, Pompei uxor, a marito Lesbum dimissa.

Libri *sexti* dimidia fere pars altera de magicis arcanis est et de insigni illa venefica, cui nomen est Erichtho. Narrat enim Lucanus Sextum, Pompei filium, cum futura scire cuperet, veneficas Thessaliae adisse. Quarum postquam artes descripsit, Erichthus casus et mores exponit; hanc urbes fugere, deserta loca incolere, mortuorum corpora lacerando inquirere et ad suas artes adhibere. Ab hac Sextum Pompeium impetravisse, ut ex mortuo aliquo quid futurum esset sibi aperiret. Illam igitur unum ex corporibus delectum et ad suam caveam unco tractum, deinde arte et carminibus ad vitam revocatum, iussisse fata eloqui. Illud nonnisi infausta et Romanis et Pompeiis praedixisse. Tum veneficam illam rogo incenso corpus imposuisse et ad mortem restituuisse.

Liber *septimus* fere totus est de Pharsalica pugna. Acies, ducum orationes, pugnantium furor, pugnae momenta, Pompei fuga vividis coloribus referuntur. Narrationem autem haud semel Lucanus intermittit, ut de funesto bello, de tot tantisque luctibus, de amissa denique Romanorum libertate conqueratur; quin etiam dicit ille quidem se a descriptione illius pugnae abhorrere.

*Octavus* de Pompei post cladem peregrinationibus et dubitationibus et consiliis et sermonibus et denique flagitiosa nece. Adde Corneliae uxoris lamenta, quippe quae saevam illam necem procul viderit et abscisum Pompei caput et funera.

In *nono*, qui omnium longissimus est, multa Catonis eiusque in Africa exercitus referuntur; illius constantia laudatur. Extremo autem libro Caesar ostenditur, dum, Pompeium quaerens, Hellespontum Troiamque adit, deinde, Aegyptum ingressus, satellitem regium obvium habet Pompei caput offerentem. Hic vero Caesarem Lucanus quamvis laetum lacrimas tamen fundentem inducit scelusque satellitis et regis acriter increpantem.

*Decimus* denique de Caesare est, dum inter Aegyptios et in aula regis versatur, et de Cleopatra eiusque ornatu ac forma, et de Aegyptiorum luxu in convivio, et de Pothini insidiis, et de summis Caesaris periculis. Extremi autem versus ii sunt, ut dubitari non possit quin hic liber repente sit interruptus.



Haec fere ille canit, neque tamen solum haec; multa enim praetermissi, quae longum erat referre. Neque tanti interest ea referre, quae ille narraverit, quanti quomodo res delegerit et narraverit. In quo multa illi obiciuntur, quod materiam poematis ab historia ita petierit, ut rerum ordinem scriptorum more sequeretur, et quod recentiores res sibi canendas sumpserit, et quod nullum diis eorumque voluntati locum reliquerit, et quod multas multorum orationes retulerit, et quod omnia non tam poeticis quam declamatoriis, ut ita dicam, coloribus ornaverit. Neque solum nostra aetate, sed etiam apud veteres multum ac diu de huius poematis vitiis videtur disputatum esse. Nam antiquus etiam Pharsaliae interpretes ad v. I « Lucanus — inquit — dicitur a plerisque non esse in numero poetarum, quia omnino historiam sequitur, quod poeticae arti non convenit ». Iam Servius, cum quendam Aeneidos l. I locum explicaret, « Lucanus — inquit — in numero poetarum esse non meruit, quia videtur historiam composuisse, non poema ». Et Petronius (Sat. 118) Lucanum profecto reprehendere voluit his verbis: « Belli civilis ingens opus quisquis attigerit, nisi plenus litteris, sub onere labetur. Non enim res gestae versibus comprehendendae sunt, quod melius historici faciunt... ». Quintilianus autem « Lucanus — inquit — ardens et concitatus et sententiis clarissimus et, ut dicam quod sentio, magis oratoribus quam poetis imitandus ».

Nos vero, qui litterarum genera minus iam seiungimus et grammaticorum leges minoris facimus, haud multum accusationi tribuimus quod historiam sit secutus. Quod autem ad deos pertinet, fateor quidem nullum iis a Lucano datum esse locum, sed multi in poemate sunt loci, quibus miracula rerum portenduntur, ut oracula, ut somnia, ut veneficarum atque in primis Erichthus artes, et dira illa mortui vaticinia, et prodigia, et mirae de Antaeo et de Hesperidum horto atque pomis et de Libycorum serpentium origine fabulae. Adde Fortunam, quae deorum locum quodammodo tenet. Quodsi in orationibus modum non servat, in iis tamen tantam adhibet verborum granditatem ac maiestatem, ut admirationem moveat. Quod autem Iuvenalis, ut suo loco videbis, de se dixit: « Facit

indignatio versum », id etiam de Lucano dicere licet. Cum enim bellum civile ex animo detestetur atque abhorreat, saepe impia illa civium inter se proelia conqueritur, saepe duces alloquitur, saepe in eos, qui maximae extiterint illius belli causae, invehitur, saepe denique in medias res se ipse suasque opiniones ac suos animi inpetus introducit. In quo modum quidem desideres, et eum declamatorium morem secutum esse haud immerito dicas; sed parcendum utique est Lucani iuventuti qui, vicesimum septimum annum non excesserit, praesertim cum iis temporibus scripserit, quibus omnes fere declamationibus indulgerent.

Illud autem Pharsaliae nocuit, quod Lucanus suum poema ea aetate scribere coepit, qua Nerone familiariter utebatur, cum laudaturus, quartum vero reliquosque libros, mutato in eum animo, ita composuit ut ira et odiis impulsus esse videatur.

Itaque duo exordia poematis esse dixeris, quorum priore bellum ille quidem omnino execratur, posteriore vero in tantam adulationem incidit, ut belli calamitates questus, haec tamen addat:

Quodsi non aliam venturo fata Neroni  
 invenero viam, magnoque aeterna parantur  
 regna deis, caelumque suo servire tonanti  
 nonnisi saevorum potuit post bella gigantum,  
 iam nihil, o superi, querimur: scelera ipsa nefasque  
 hac mercede placent: diros Pharsalia campos  
 impleat et Poeni saturentur sanguine manes...

.....

Multum Roma tamen debet civilibus armis.

(I. 33 et seqq.)

At in libro septimo, ut supra diximus, quod Pharsalico proelio Romanorum libertas amissa sit pluribus queritur versibus.

Eadem fortasse de causa, et quod extrema operi manus non accessit, poematis personas haud semper satis expressas videmus. Neque quisquam toto opere principem locum tenet; quin etiam videtur, cum voluerit Pompeium laudare, Caesarem premere. Caesaris imaginem invitus su-

pra hominem auxisse. At Catonis constantiam et magnanimitatem uno versu mirum in modum expressit:

Victrix causa deis placuit, sed victa Catoni. (I. 136).

Idem comparationes nimis fortasse multas adhibet easque amplificationibus, quas appellant, auget. Itaque, ut omnia brevi concludam, praecelaro utique ingenio praeditus ille fuit, multaque atque egregia carmina promittebat, nisi acerbo fato raptus esset.

Neronis aetate etiam L. JUNIUS MODERATUS COLUMELLA floruit. Qui Gadibus, in Hispania, natus, cum adolevisset, in Syria et in Cilicia tribunus militaris multos annos, ut ipse tradit, versatus est. Eum Seneca familiariter usum esse, satis constat; an multa praedia possederit, dubitamus. Duodecim ille libros DE RE RUSTICA magna cum diligentia scripsit, multis multorum operibus usus, quae de agri cultura agerent, et sua ipsius experientia nixus. Postquam igitur animi dolorem aperuit, quod vetus illud agriculturae studium extinctum esset, et tot tantaque praedia inculta iacerent, de agricultura, de praediis, de iis qui agris operam dent, primo in universum agit, deinde de arandi et serendi ratione, tum de vitibus aliisque arboribus colendis, et de pecudibus, de avibus, de piscibus, etiam de feris et de apibus. Decimus liber est de hortis, et duo postremi de officiis vilici et vilicae. Illud autem est animadvertendum, decimum librum, de hortis, versibus hexametris<sup>1</sup> satis elegantibus Columellam scripsisse, eo consilio, ut quam partem Vergilius in Georgicis (IV, 146-147) praeterierat aliisque memorandam reliquerat, eam ipse pertractaret. Cetera prosa oratione scripta sunt, satis puro sermone et ab illius saeculi vitiis plerumque vacuo.<sup>2</sup>

1. CDXXX versus sunt.

2. Columella quattuor *de re rustica* libros iam scripserat, ex quibus *unus de arboribus* exstat, reliqui perierunt; sed eorum materiam in duodecim illis quos supra diximus libris uberius tractatam videmus.

Postremo CAESIUM BASSUM et CALPURNIUM PISONEM memorabimus, quorum ille tantam sibi famam carminibus comparavit, ut a quibusdam eiusdem aetatis Horatio prorsus aequaretur; eum in Persii amicis fuisse iam supra diximus: ex eius carminibus quaedam reliquiae exstant *de metris*. At Calpurni, qui quinquenni illius Neronis felicitatem laudibus celebravit, septem ECLOGAE ad nos pervenerunt, in quibus videtur Vergili rationem, non poeticas virtutes, imitatus esse, quamquam aliquid boni invenimus.

Adde P. POMPONIUM SECUNDUM et CURIATIUM MATERNUM tragicos poetas, quorum opera perierunt, non nomina. Quintilianus (Inst. X, 1, 98) enim « eorum — inquit — quos viderim longe princeps Pomponius Secundus, quem senes quidem parum tragicum putabant, eruditione ac nitore praestare confitebantur ». Eundem et Tacitus laudavit « multa morum elegantia et ingenio illustri » (Ann. V. 8) et Plinius Maior (N. H. XIII, 83) « vatem civemque clarissimum » appellavit. Curiatium Maternum Tacitus<sup>1</sup> multa de oratoribus et de poetis docte disputantem inducit « postero die quam Curiatius Maternus *Catonem* recitaverat, cum offendisse potentium animos diceretur, tamquam in eo tragoediae argumento, sui oblitus, tantum *Catonem* cogitasset, eaque de re per urbem frequens sermo haberetur... » (Dial. II). Illic praeter *Catonem* alteram fabulam praetextam scripsit, *Domitium*;<sup>2</sup> *Medeam* autem composuit Graecos poetas imitatus.

### Silius Italicus.

Nunc ad eos poetas atque scriptores veniamus, qui post Neronis aetatem floruerunt. In quibus, fere aequales, tres poetas mentione dignos invenimus: Silium Italicum, Papinium Statium, Valerium Flaccum.

1. Seu quicumque DIALOGUM DE ORATORIBUS scripsit: vide infra, de Tacito.

2. L. Domitius Aenobarbus, Iuli Caesaris inimicus, apud Pharsalum perit. Hac etiam in fabula Curiatius videtur civiles sensus ac libertatis desiderium haud aliter atque in *Catone* aperuisse.

Tiberius Catus Silius Italicus ubi natus fuerit ignoramus; neque enim satis constat cur Italicus sit appellatus. Cuius vitam, quam ab anno fere vicesimo quinto ad centesimum primum egit, hac Plini epistula (III, 7) descriptam videmus:

« Modo <sup>1</sup> nuntiatus est Silius Italicus in Neapolitano suo inedia finisse vitam. Causa mortis valetudo. Erat illi natus insanabilis clavus,<sup>2</sup> cuius taedio ad mortem inrevo-cabili constantia decucurrit, usque ad supremum diem beatus et felix, nisi quod minorem ex liberis duobus amisit, sed maiorem melioremque florentem atque etiam consularem reliquit. Laeserat famam suam sub Nerone (credebatur sponte accusasse), sed in Vitelli amicitia sapienter se et comiter gesserat, ex proconsulatu Asiae gloriam reportaverat, maculam veteris industriae laudabili otio abluerat. Fuit inter principes civitatis sine potentia, sine invidia: salutabatur, colebatur multumque in lectulo iacens, cubiculo semper non ex fortuna frequenti, doctissimis sermonibus dies transigebat, cum a scribendo vacaret. Scribebat carmina *maiore cura quam ingenio*, nonnumquam iudicia hominum recitationibus experiebatur. Novissime, ita suadentibus annis, ab urbe secessit, seque in Campania tenuit ac ne adventu quidem novi principis<sup>3</sup> inde commotus est: magna Caesaris laus, sub quo hoc liberum fuit, magna illius, qui hac libertate ausus est uti. Erat φιλόκαλος<sup>4</sup> usque ad emacitatis reprehensionem. Plures iisdem in locis villas possidebat, adamatisque novis priores neglegebat. Multum ubique librorum, multum statuarum, multum imaginum quas non habebat modo, verum etiam venerabatur, *Vergili ante omnes, cuius natalem religiosius quam suum celebrabat, Neapoli maxime, ubi monumentum eius adire ut templum solebat*. In hac tranquillitate annum quintum et septuagesimum excessit, delicato magis corpore quam infirmo: utque *novissimus a Nerone factus est consul*, ita postremus ex omnibus, quos Nero consules fecerat, decessit... ».

1. Hanc epistulam Plinius anno, ut videtur, CI ad Caninium Rufum scripsit.

2. Id est Italice, ut videtur, « un tumore incurabile ».

3. Scil. Traiani.

4. Id est « pulcrarum rerum amans ».

Hic poema epicum scripsit quod PUNICA inscribitur. Ex septendecim libris constat, quibus belli Punici secundi res eodem fere ordine, quo evenerunt ita narrantur, ut ficta veris haud scite commixta esse dicas. Nam, quae rerum miracula et deorum concilia atque auxilia, quas commenticias fabulas ille quidem inducit — Deos enim discordiis laborantes videmus et Minervam Hannibali, Martem Scipioni in pugna opem ferentes; tum P. Scipionem ad inferos descendentem, ut patris et patris manes interroget, et Sibyllam ei Hannibalis fata praedicentem — ea omnia cum rebus humanis atque hominibus parum cohaerent, neque tam composita quam superimposita rerum narrationi videntur, cum Silius Vergilium et Homerum imitari voluerit, et epicum poema ab illa Lucani ratione ad veterum poetarum normam rursus adducere. Res autem, quae narrantur, haud operae praetium est exponere, cum ille eadem fere versibus composuerit, quae T. Livius tertia illa decade complexus sit. Nam postquam brevi prooemio, quod Vergilium quodammodo sapit,

Ordior — inquit — arma, quibus caelo se gloria tollit  
Aeneadum, patiturque ferox Oenotria iura  
Carthago...

postquam Didonem Iunonisque odia memoravit, initio rerum ab oppugnatione Sagunti sumpto, Hannibalis res gestas, et Pirenaei saltus atque Alpium transitus, et pugnas ad Ticinum et ad Trebiam et ad lacum Trasumenum, deinde Fabi Maximi virtutem atque prudentiam, et pugnam illam Cannensem, et Capuae otia, et minora passim proelia canit. Tum P. Cornelium Scipionem ad inferos, ut supra dixi, descendentem inducit — eo usque Silius Vergili imitatio adduxit — deinde quae Syracusis evenerint, quas in Hispania clades Scipio Hasdrubali intulerit, et pugnam illam ad Metaurum flumen atque Hasdrubalis necem deinceps exsequitur. Postremo libris XVI et XVII res in Africa gestas et Scipionis ad Zamam victoriam complectitur, et poema Scipionis triumpho atque his extremis versibus concludit, quibus Romanum illum ducem alloquitur:

Salve, invicte parens, non concessure Quirino  
 laudibus ac meritis non concessure Camillo.  
 Nec vero cum te memorat de stirpe deorum  
 prolem Tarpei mentitur Roma Tonantis.

Illud praeterea est animadvertendum, Silium Italicum, quamvis versibus hanc materiam tractaverit, minore tamen poetico, ut ita dicam, impetu elatum esse videri, quam Livius videtur: neque enim tantum sinceri animi ardorem, tantam mentis aciem, tantum denique verae admirationis in Sili versibus invenias, quantum in Livi prosa oratione. Quid, quod miram illam Romanorum ac fere divinam in rebus adversis animi constantiam Livius haud uno in loco mirum in modum expressit, Silius omnino fere neglexit? Itaque hunc, si cum Lucano, cum Valerio Flacco, cum Papinio Statio compares, iis inferiorem discedere haud immerito dicas.

Huic etiam breve<sup>1</sup> quoddam poema, quod ILIAS LATINA inscribitur, a nonnullis viris tributum est, falso, ut recentioribus quidem videtur. Quod autem ex primis primorum versuum litteris, si eas deinceps legas, Italici nomen colligitur, res haud magni momenti habetur, cum ex multis indiciis appareat poema illud ad usum discipulorum serius compositum et diu postea in ludis adhibitum esse, quo Homeri Ilias, in angustum coacta, feliciter quodammodo cognosceretur; quamquam multos Graeci poetae locos mutatos hic ac depravatos videmus. Neque enim multis laudibus hoc opus dignum esse dixerim.

### P. Papinius Statius.

P. Papinius Statius Neapoli patre et ipso litterato ac poeta anno quadragesimo fere vel quinquagesimo natus, poetarum maximus Flavianorum aetate est habitus maximisque laudibus celebratus. Qui adulescens admodum Romanam a patre ductus, cum in Urbem ille suam sedem ludumque transtulisset, poeticae, cui iam Neapoli studebat, ita operam dedit, ut vel uno vel pluribus in poeticis certamini-

1. Ex MLXX hexametris constat.

bus principem assoqueretur locum, atque magnas apud homines illius aetatis laudes sibi compararet. Neque tamen divitiis abundavit; quin etiam cum pauperem fuisse ex quodam Iuvenalis<sup>1</sup> loco colligimus. Neque Romae mansit usque ad mortem. Nam in certamine quodam poetico victus, tanto illius quam Romae agebat vitae taedio affectus est, ut Neapolim redierit, quam urbem locorum amoenitate iam pridem desiderare non destiterat, ut etiam ex quadam ipsius poetica epistula (Silv. III, 5), quam ad uxorem scripsit, arguere licet. Cum enim uxor Romae manere mallet et profectio moras afferret, natale solum laudibus ille celebravit. (vv. 81 et seqq.).

Has — inquit — ego sedes (nam nec mihi barbara  
[Thrace

nec Libye natale solum) transferre laboro,  
quas et mollis hiems et frigida temperat aestas,  
quas imbelle fretum torpentibus adluit undis.  
Pax securae locis et desidis otia vitae  
et nunquam turbata quies somnique peracti.  
Nulla foro rabies aut strictae in iurgia leges:  
morum iura viris solum et sine fascibus aequum.

.....  
Nec desunt variae circa oblectamina vitae:  
sive vaporiferas, blandissima litora, Baias,  
enthea fatidicae seu visere tecta Sibyllae  
dulce sit Iliacoque iugum memorabile remo,<sup>2</sup>  
seu tibi Bacchei vineta madentia Gauri<sup>3</sup>  
Teleboumque domos,<sup>4</sup> trepidis ubi dulcia nautis

1. Sat. VII, vv. 82 et seqq.:

Curritur ad vocem iucundam et carmen amicae  
Thebaidos, laetam cum fecit Statius urbem  
promisitque diem: tanta dulcedine captos  
afficit ille animos, tantaque libidine vulgi  
auditur: sed cum frogit subsellia versu  
esurit, intactam Paridi nisi vendit Agavem.

Quos versus tum melius intelleges, cum omnia de Statio legeris, quae postmodo dicam.

2. Campaniae promonturium significat, ubi Vergilius Misenum tradit sepultum esse. Cfr. Verg. Aen. VI, 232 et seqq.

3. Campaniae mons est.

4. Teleboae, antiquus Aearniae populus, coloniam, ut videtur, Capreas deduxerunt. Cfr. Verg. Aen. VII, 735. Tacitus autem (Ann. IV, 67) « Capreasque — inquit — Telebois habitatas fama tradit ».



lumina noctivagae tollit pharus aemula lunae  
caraque non molli iuga Surrentina Lyæo.

.....

Mille tibi nostrae referam telluris amores?  
Sed satis hoc, coniunx, satis est dixisse: creavit  
me tibi, me socium longos adstrinxit in annos.

Postquam vero Neapolim rediit, carminibus vacare non desiit, quin etiam alterum epicum poema, anno XCIV vel XCV, scribere coepit, ACHILLEIDA, cuius nondum libro secundo finem imposuerat, cum morte correptus est, anno, ut videtur, nonagesimo sexto p. Ch. n. Hunc media quae dicitur aetate multi, et noster ille Dantes in primis, christianum fuisse crediderunt, ideo fortasse quod, cum alter Statius Tolosanus rhetor in famam venisset, hunc ab illo, in errorem inducti, non distinxerunt. Nos vero eo impelli non possumus, ut eum Christianum fuisse credamus, praesertim cum et Domitianum, saevissimum Christianorum insectatorem, non solum laudaverit, sed etiam multis adulationibus celebraverit, et Gentilium deos cecinerit, ea utique aetate, qua plurimi Christiani sanguinem et vitam profundrent, ne mendaces illos fallacesque deos colerent. Statius tamen, si adulationes illas excipias, probus fuit homo, uxoris ac familiae amantissimus, mitis ac comis, caris amicis carus ac fidus.

Cuius praecipuum opus THEBAIS est, quod ex duodecim libris constat, ut Aeneis. Nam quin Vergilium imitari voluerit, dubitari non potest. Quamquam vero Antimachum illum Colophonium eiusque Thebaida,<sup>1</sup> quod praesertim ad poematis materiam attinet, ante oculos, ut ita dicam, tamquam exemplar videtur habuisse, tamen multa ab Aeneide sumpsit. Neque enim funebres ludi desunt, neque ad inferos descensiones neque somnia aut inania simulacra desideres: quin etiam iuvenes illi, Dymas et Hoples (X, 445 et seqq.), arto amicitiae vinculo coniuncti, pulcherrimi illius de Euryalo et Niso in Aeneide loci eum qui legit admonent. Praeterea in Stati Thebaide eosdem fere deos, quos in Aeneide, videmus, et Discordiam et

1. Cuius sexaginta ferme versus exstant.

Rabiem et Somnum aliaque vitia aut virtutes humana vel potius divina specie induta. Ceterum longiores ac futiles narrationes vel descriptiones invenias, poetici spiritus atque impetus parum. Cum enim bellum sibi sumpserit praecipue canendum, quod septem illi fortissimi viri adversus Thebanos Eteoclemque gesserunt, non ante librum octavum primam pugnam sub Thebarum moenibus committi videmus. Hanc vero in explicandis rebus tarditatem, ut ita dicam, iam primis prooemi versibus fere promissam sentias. Nam ita poema incipit:

Fraternas acies alternaque regna profanis  
 decortata odiis sontesque evolvere Thebas  
 Pierius menti calor incidit. Unde iubetis  
 ire deae? gentisne canam primordia dirae,  
 Sidonios raptus et inexorabile pactum  
 legis Agenoreae scrutantemque aequora Cadmum?  
 (I, 1-6).

Adde quod eam materiam sumpsit tractandam, quae Romano iam parum cordi esse posset, qua in re multo minus se felicem praebuit quam Vergilius, qui res antiquissimas quidem, sed Romanis gratissimas delegit. Sunt tamen in Thebaide quidam loci laude digni, ut in libro decimo versus illi, quibus Capanei<sup>1</sup> superbiam mirum in modum expressam videmus, dum Thebanorum moenia ferro ignique aggreditur, donec, Iovis fulmine ictus, poenas impietatis dedit. Capaneus enim deos irridens, qui Thebis iam nullum ferrent auxilium (X, 899-928).

« Nullane pro trepidis — clamabat — numina Thebis  
 statis? Ubi infandae segnes telluris alumni,  
 Bacchus et Alcides? Pudet instigare minores.  
 Tu potius venias (quis enim concurrere nobis  
 dignior? en cineres Semeleaque busta tenentur)  
 nunc age, nunc totis in me conitere flammis,  
 Iuppiter! An pavidas tonitru turbare puellas<sup>2</sup>  
 fortius, et soceri tures excindere Cadmi? »

1. Hinc profecto commotus, Dantes suum illum Capaneum in Comedia effinxit.

2. Semelem significat eiusque mortem, ut est in antiquis fabulis.



volebat: quod sane cum intolerabile pondus erat, tum tot tantaeque res ita tractari non poterant, ut unum fieret opus. Sed quae poematis pars ad nos pervenit — mille et centum viginti versus hexametri sunt — ea, quamvis ad epicum genus parum pertineat, gratia quadam et lepore nitet, adeo ut brevibus illis Alexandrinorum poetarum magis lyricis quam epicis poematis similis esse videatur. Hic autem et Achillem puerum Chironi centauro instituentum credi videmus, et Thetim, anxiam matrem, futura filii fata praesagientem, cum Chironi auferre et Scyrum, in aulam regis Lycomedis, deducere, ut inter eius filias virginibus vestibibus indutus lateat neque ad bellum trahatur. Tum adolescentulum in unam ex illius virginibus Deidamiam miro amoris ardore incendi. Interea Danaos, Aulide adversis ventis retentos, cum Achillis vires desiderent ac cupiant, Ulixem et Diomedem ad Lycomedem mittere, fortissimum illum adolescentem quaesituros. Postremo Achillem, Ulixis fraude deprehensum, arma ab Ulixo allata inducere et, Deidamia sibi nuptiis coniuncta, una cum Ulixo et Diomede ad bellum proficisci. Hactenus res ille narravit. Mihi vero unum huius poematis locum satis sit memorare, in quo Statius Thetim inducit cum Chirone colloquentem, dum filium expectat a venatu rediturum. Mira Chiron de puero illo matri narrat; quam audax, quam fortis sit ei aperit. Tum vero « figit gelidus Nereida pallor ». Ecce autem a venatu rediens

Ille<sup>1</sup> aderat multo sudore et pulvere maior,  
 et tamen arma inter festinatosque labores  
 dulcis adhuc visu; niveo natat ignis in ore  
 purpureus fulvoque nitet coma gratior auro.  
 Necdum prima nova lanugine vertitur aetas,  
 tranquillaeque faces oculis et plurima vultu  
 mater inest:<sup>2</sup> qualis Lycia venator Apollo  
 cum redit et saevis permutat plectra pharetris.

(I, 159-166).

Hic vere Statius adolescentis illius Achillis pulcherrimam imaginem mirum in modum expressit.

1. Achilles.

2. Eius faciem simillimam esse matri significat.

Tertium Stati opus SILVAE exstant, quo nomine id carminum genus significari solebat, quod ex tempore calorem atque impetum<sup>1</sup> sequendo fusum esset. Triginta duo carmina sunt, in quinque libros divisa, brevia quaedam, ut SOMNUS, quod carmen, brevissimum omnium, ex XIX hexametris constat, alia longiora, ut EPICEDION IN PATREM SUUM, quod est omnium longissimum—nam CCXCIII hexametros amplectitur; pleraque versibus hexametris — XXVII —, tria hendecasyllabis phalaeiis, unum alcaico, unum sapphico metro scripta sunt. Praeterea, cum de rebus maximo variis sint, maxime varios animi sensus ostendunt. Quaedam ab epico genere non longe abesse dixeris, pleraque vere lyrica sunt. Alia magno utique calore et impetu fusa, alia gratiae et leporis et deliciarum plena, alia fucata et simulata et adulationibus foeda; in plerisque tamen et nimiae doctrinae ostentationi et declamatorio cuidam colori, non tam ipsius quam saeculi vitiis, ille quidem passim indulget. Quamquam vero ipse dicit<sup>2</sup> se « subito calore et quadam festinandi voluptate » scripsisse, satis tamen constat quaedam postea diligenter emendavisse, ut *Epicedion illud in patrem suum*, quod antiquus quidam interpres testatur, eum *diu elaboravisse*.

### Valerius Flaccus.

Gaius Valerius Flaccus Setinus Balbus parentibus satis divitibus Setiae, in Latia, videtur natus esse; quo anno, ignoramus; satis tamen constat eum suum poena Vespasiani aetate scribere coepisse, et anno fere p. Ch. n. nonagesimo mortuum esse, siquidem Quintilianus in libro Institutionis decimo,<sup>3</sup> quem eo anno scripsit, « Multum — inquit — in Valerio Flacco nuper amisimus ». Fuit in quindecimviris sacris faciundis, quorum collegium et libros Sibyllinos custodiebat et Romanorum religionem ac mo-

1. Quintilianus (Inst. X, 3, 17) *silvam* dixit vocari, quae stilo velocissimo scriberentur et « calorem atque impetum » sequendo. Verbum latinum a Graeco ὄλη, ductum est, quod idem est ac « materia ».

2. In prooemio libri I; nam singulis libris prooemia, prosa oratione scripta, praepouit.

3. X, 1, 90.

res ab externis caerimoniis tutabatur. Cetera de ipsius vita nos latent.

Eius poema quod ARGONAUTICA inscribitur ex octo libris constat, ita tamen, ut liber octavus inchoatus esse videatur; quin etiam sunt qui eum duodecim libros scribere voluisse putent, nec temere; nam et liber octavus illic interruptus apparet, ubi multa de Iasone et Medea narranda expectantur, et totius operis ordo is est, ut numerum illum duodecim librorum commendet.

Materia ex antiquissimis fabulis ducta; quam cum apud Graecos Apollonius ille Rhodius, Alexandrinus poeta, ita quattuor libris tractaverat, ut magna hominum fama floret, tum apud Latinos Varro Atacinus Catulli aetate quattuor libris et ipse sibi imitandam vel iterum tractandam sumpserat.<sup>1</sup> Valerius autem Apolloni poema, quamvis ante oculos habuisse videatur, tamen ita imitatur ut saepissime suus sit; multa enim illius praetermittit, multa auget, multa etiam felicissime comminiscitur. Quod nisi corrupto illius aetatis iudicio saepe indulsisset, nisi reconditam quandam abstrusamque doctrinam ostentare voluisset, nisi in describendis locis nimis moratus esset, maximus profecto poeta extitisset maximisque laudibus celebrandus. Nunc autem non multae sunt eius poematis partes, quas magna cum animi delectatione legimus, ut locus ille,<sup>2</sup> brevissimus idemque amoenissimus, in quo Achilles infans Peleo patri, ad rem cum Iasone gerendam proficiscenti, a Chirone centauro ostenditur; ut magna libri VI pars, ubi tanti tamque diversi animi motus in Medeae pectore inter se certantes describuntur, dum illa intolerando in Iasonem amoris ardore invita corripitur; ut horrendum illud Iasonis certamen cum duobus illis tauris, flammam ex ore spirantibus (in libro VII). Praeter ceteras tamen pulcherrima illa libri octavi prior pars mihi quidem videtur, ubi Medea inducitur, conscientia et occulto furore anxiosa, extrema parans ut draconem aurea vellera custodientem somno opprimat, et Iason eam expectans in silva, et eorum occursum et sermo. Quantus in Medea animi

1. Cfr. Quint. XX, 1, 87. Duo versus exstant.

2. I, 255-270.

dolor, cum sentiat patrem, quem adhuc diligit, patriam regnum, necessarios, omnia, propter Iasonem sibi relinquenda! Illa enim Iasonem, non sua ipsius voluntate ac ratione ducta, sed caeco quodam ac vehementi impetu et fato coacta videtur amare; eumque ita alloquitur, ut videatur iam illud quodammodo praesagire ac timere, quod ex fabulis postea evenisse accepimus, quodque Valerius ipse narraturus erat.<sup>1</sup> Iam in primis huius libri versibus Medae animus curis atque furiis exercitus apparet.

At trepidam in thalamis et iam sua facta paventem  
Colchida circa omnes pariter furiaeque minaeque  
patris habent .....

.....  
Ultima virgineis tunc flens dedit oscula vittis,  
quosque fugit complexa toros, crinemque gonasque  
ante per antiqui carpsit vestigia somni,  
atque haec impresso gemuit miseranda cubili:  
« O mihi si profugae, genitor, nunc mille supremos  
amplexus, Aeeta, dares fletusque videres  
ecce meos! Ne crede, pater, *non carior ille est  
quem sequimur; tumidis utinam simul obruar undis!...* »

Postquam vero Iasonem in luco convenit et ab illo  
haec inter cetera audivit:

« O decus in nostros magnum ventura penates,  
solaque tantarum virgo haud indigna viarum  
causa reperta mihi, iam iam non ulla requiro  
veller, teque meae satis est quaesisse carinae »,

postquam Iason « primis supplex dedit oscula palmis,

contra virgo novis iterum singultibus orsa est:  
— Linquo domos patrias te propter, opesque meorum:  
nec tam nunc regina loquor, sceptrisque relictis  
vota sequor: serva hanc profugae, prior ipse dedisti  
quam (scis nempe) fidem ..... —

---

1. Nemo fere ignorat Iasonem postea, Medea derelicta, Glaucen, Corinthiorum tyranni filiam, uxorem duxisse.

Quibus in verbis eorumque insueto ordine nonne ipsos virginis singultus ruptasque voces alternosque sententiarum impetus audire videris? «Nec tam nunc», deinde sex rapida verba et illa «lōquór» «sěquór» tam propinqua similiter cadentia, tum perturbatum illum brevium verborum ordinem: «prior ipse dedisti quam (scis nempe) fidem». Etiam versus, qui sequuntur, magna laude sunt digni, in quibus ille narrat quomodo Medea draconem somno oppresserit. Hoc quoque illa facit invita, draconis ipsius eam miseret, eumque, somno oppressum, maestis vocibus alloquitur.

Ipsa caput cari postquam Medea draconis vidit humi, fuis circum proiecta lacertis seque suumque simul flevit crudelis alumnum.  
«Non ego te sera talem sub nocte videbam  
sacra ferens epulasque tibi, nec talis hianti  
mella dabam ac nostris nutribam fida venenis.  
... Nec te saltem, miserande, peremi!»

Et omnia, quae Iasonis causa fecit, ea appellat nefanda:

«... Sed tu quoque cunctas,  
Aesonide, dimitte moras atque effuge raptis  
velleribus. Patrios extinxi noxia tauros;  
terrigenas in fata dedi; fusum ecce draconis  
corpus habes, iamque *omne nefas* iam spero peregi.  
(VIII, 1-108 passim)

Vere si totum poema eiusmodi esset, in summis, inquam, poetis Valerius etiam nunc haberetur. Quodsi extrema manus non accessit, in singulis tamen partibus tantam adhibitam videmus diligentiam, ut limae labor non defuisse videatur. Illud denique animadvertite: primum librum non minus novem annis compositum esse.

### C. Plinius Secundus.

Nunc oportet ad tempora paulo superiora redire, ut eiusmodi scriptorem paucis memoremus, qui magnam sibi famam doctrinae studio pepererit et vere magnum opus nobis reliquerit de multis artibus; quodsi eorum, quae



ille docuit, multa, doctissimorum hominum recentiorum operā, iam ita errata comperta sunt, ut risum moveant, tamen facere non possumus quin illud admiremur, unum hominem tam multas multarum artium notiones mente complexum esse atque in vulgus edidisse.

C. Plinium Secundum dico, qui Novi Comi anno vicesimo tertio equestri ac diviti loco natus, civilia ac militaria officia multa ac magni momenti obiit, multosque magistratus optime gessit; nam, ut cetera omittam, cum procurator in Germania, in Gallia, in Hispania fuit, tum Inferi maris classem imperio rexit. Quamvis vero tot tantisque curis districtus, nullum fere fuit temporis spatium, quo non studiis impensius operam daret. Quod ex epistula illa (Plini Epist. III, 5) colligere licet, quam Plinius Minor, Maioris illius ex sorore natus, Baebio Macro cuidam rogatus scripsit. In qua cum multa de doctissimo illo viro tradita sint, eam aliqua quidem ex parte transcribere mihi videtur.

« Pergratum est mihi quod tam diligenter libros avunculi mei lectitas, ut habere omnes velis quacrasque qui sint omnes. Fungar indicis partibus atque etiam quo sint ordine scripti notum tibi faciam: est enim haec quoque studiosis non iniucunda cognitio. *De iaculatione equestri unus*;<sup>1</sup> hunc, cum praefectus alae militaret, pari ingenio curaque composuit. *De vita Pomponi Secundi*<sup>2</sup> duo, a quo singulariter amatus, hoc memoriae amici quasi debitum munus exsolvit. *Bellorum Germaniae viginti*, quibus omnia, quae cum Germanis gessimus, bella collegit. Inchoavit, cum in Germania militaret, somnio monitus: adstitit ei quiescenti Drusi Neronis<sup>3</sup> effigies, qui Germaniae latissime victor ibi periit: commendabat memoriam suam orabatque ut se ab iniuria oblivionis adsereret. *Studiosi*<sup>4</sup> tres in sex volumina propter amplitudinem divisi, quibus oratorem ab incunabulis instituit et perficit. *Dubii sermonis*

1. Scil. « liber ».

2. Clarissimus ille vir quem supra memoravimus: consul fuit anno XLIV; tragoedias scripsit; Tiberio principi vel eius aulae fuit in odio.

3. Qui Tiberi, postea principis, frater minor fuit.

4. « Studiosi » aetate illa ii appellabantur, qui arti dicendi operam darent.

*octo*: scripsit sub Nerone novissimis annis, cum omne studiorum genus paulo liberius et erectius periculosum servitus fecisset. *A fine Aufidi Bassi*<sup>1</sup> *triginta unus. Naturae historiarum triginta septem*, opus diffusum, eruditum nec minus varium quam ipsa natura. Miraris quod tot volumina multaque in his tam scrupulosa homo occupatus absolverit; magis miraberis, si scieris illum aliquamdiu causas actitasse, decessisse anno sexto et quinquagesimo,<sup>2</sup> medium tempus distentum impeditumque, qua officiis maximis, qua amicitia principum egisse. Sed erat acre ingenium, incredibile studium, summa vigilantia... ».

Hanc epistolam totam proferre longum est; multa enim de avunculi sobrietate et industria et sollertia narrat; quin etiam qua ratione diei et etiam noctis horas dividere solitus fuerit, ostendit, et quanta fuerit parsimonia temporis. Quin etiam in balineo « dum destringitur tergiturque audiebat aliquid aut dictabat. In itinere, quasi solutus ceteris curis, huic uni vacabat; ad latus notarius<sup>3</sup> cum libro et pugillaribus, cuius manus hieme manicis muniebantur, ut ne caeli quidem asperitas ullum studiis tempus eriperet... Perire omne tempus arbitrabatur, quod studiis non impenderetur. Hac intentione tot ista volumina peregit electorumque commentarios<sup>4</sup> centum sexaginta mihi reliquit, opisthographos<sup>5</sup> quidem et minutissime scriptos... ». Idem alia epistula (VI, 16), quam Tacito scripsit, avunculi mortem non paucis narrat, quae anno LXXIX evenit in ignium illa ex monte Vesuvio eruptione, cum investigandi cupidine incensus eo cucurrisset, unde alii fugerent. « Prope rat illuc, unde alii fugiunt, rectumque cursum, recta gubernacula<sup>6</sup> in periculum tonet, adeo solutus metu, ut omnes illius mali motus, omnes figuras, ut deprenderat oculis, dictaret enotaretque ». Deinde in terram egressus, cum in periculum propius adisset, dum « crebris vastisque tremo-

1. Aufidius Bassus *Historias* scripserat, quibus res usque ad Claudi aetatem, ut videtur, narraverat. Plinius fortasse res addidit usque ad aetatem Vespasiani gestas.

2. Scil. vitae suae.

3. Nunc vero « Stenografo » italice dixeris.

4. « Estratti commentati ».

5. Scil. « Scriptos etiam in posteriore paginae parte ».

6. Nam primo ad periculum nave vehitur.

ribus tecta nutant et, quasi emota sedibus suis, nunc huc nunc illuc abire aut referri videntur », postquam ille cum paucis « sub dio » mansit, « quamquam levium exesorumque punicum<sup>1</sup> casus metuebatur », cum « iam dies alibi » esset « illic nox omnibus noctibus nigrior densiorque », nescio qua morbi subita vi correptus, « super abicetum lineum recubans, semel atque iterum frigidam poposcit hausitque. Deinde flammæ flammarumque prænuntius odor sulphuris alios in fuga vertunt, excitant illum. Innitens servulis duobus, adsurrexit, et statim concidit, ut ego colligo, crassiore caligine spiritu obstructo clausoque stomacho, qui illi naturâ invalidus et angustus et frequenter aestuans erat ». Hæc fuit eius mors. Atque ex multis illis, quæ eius nepos recensuit, operibus illud unum exstat, opus vere « diffusum, eruditum nec minus varium quam ipsa natura », NATURAE HISTORIARUM libri triginta septem, quos ille Vespasiano principi scripsit. Certe quidem Plinius ille Maior totum hoc opus triginta sex libris complexus erat; cum autem, quamvis iam anno LXXVII p. Ch. n. extrema manus accessisset, eos tamen ipse non edidisset, eius nepos, quo litteratorum hominum iudicio melius responderet, quos scriptores avunculus in singulos libros distribuerat, ut auctores promeret, unde tantam materiam hausisset, eos in unum librum collegit, quem toti operi præposuit: ita qui triginta sex fuerant, triginta septem facti sunt. Eadem de causa inscriptionem, quæ NATURALIS HISTORIAE libri fuerat, elegantes scriptores secutus, ita immutavit, ut NATURAE HISTORIARUM inscriberet.

Itaque liber primus omnes omnium librorum auctores, ut supra dixi, continet; libro II multa de mundo et astris continentur; iis, qui sequuntur usque ad sextum, de geographia agitur et de ethnographia; liber VII est de variis hominum generibus vel de anthropologia; libri a nono usque ad undecimum, de animalibus; a duodecimo usque ad decimum nonum, de iis omnibus quæ nascuntur e terra; a vicesimo usque ad tricesimum secundum, de medicina et de remediis; postremis denique libris continen-

---

1. Qui vulgo « lapilli » appellantur.

tur metallorum naturae et ea quae ad picturam atque ad colores pertinent et lapidum natura et varia gemmarum genera. Totam hanc operis materiam, quam perpaucis exposuimus, maxima ille cum varietate tractavit; plurimos enim cum his de rebus auctores secutus sit, qui vario scribendi genere usi essent, non in omnibus libris idem semper orationis genus ille adhibet; multa igitur paucis ac fere cursim exponit, non nisi aliena auctoritate, nonnumquam temere, fretus; quaedam maiore diligentia ac prope dixerim sua ipsius cum animi delectatione explicat; interdum vera ac comperta cum iis miscet, quae vis credi possint; multa ita docet, ut magno scientiae studio, magna rerum naturae admiratione incensus esse videatur; quin etiam suam ipsius opinionem de hominum genere atque moribus, de dei numine, etiam aliquando de gravissimis quibusdam quaestionibus ad philosophiam pertinentibus, aperit atque defendit; sed ea praesertim investiganda esse putat, quae in terris sunt vel ea mundi parte continentur, ut non tam cogitatione ac mente quam oculis ceterisque sensibus percipi possint. Plures esse deos negat; deum censet esse totius mundi insitam quandam vim ac fere animum, eumque Sole contineri quodammodo mihi quidem fere credere videtur. Nam septem siderum, « quae ab incessu vocamus errantia, cum errent nulla minus illis », « medius — inquit — Sol fertur amplissima magnitudine ac potestate; nec temporum modo terrarumque, sed siderum etiam ipsorum caelique rector. Hunc mundi esse totius animum ac planius mentem: hunc principale naturae reginem ac numen credere decet, opera eius aestimantes. Hic lucem rebus ministrat aufertque tenebras: hic reliqua sidera occultat, illustrat: hic vices temporum annumque semper renascentem ex usu naturae temperat: hic caeli tristitiam discutit atque etiam humani nubila animi serenat: hic suum lumen ceteris quoque sideribus foenerat, praeclarus, eximius, omnia intuens, omnia etiam exaudiens... Quapropter effigiem Dei formamque quaerere imbecillitatis humanae reor. Quisquis est Deus, si modo est alius et quacumque in parte, totus est sensus, totus visus, totus auditus, totus animae, totus animi, totus sui ». (Nat. Hist. II, 4 et 5). Quin etiam eos irridet, qui numerum deo-

rum stultissime multiplicaverunt. Ceterum paulo superius (II, 1) mundum multis magnisque laudibus celebravit. Nam « mundum — inquit — et hoc quod nomine alio caelum appellare libuit, cuius circumflexu teguntur cuncta, numen esse credi par est, aeternum, immensum, neque genitum neque interiturum unquam. Huius extera indagare nec interest hominum nec capit humanae coniectura mentis. Sacer est, aeternus, immensus, totus in toto, immo vero ipse totum: finitus et infinito similis: omnium rerum certus et similis incerto; extra, intra, cuncta complexus in se; idemque rerum naturae opus et rerum ipsa natura... ». Ea vero, quae sequuntur, cum iis comparata, quae nunc homines caeli ac siderum peritissimi docent, fieri non potest, quin risum moveant. Quid Plinius ipse diceret, si nunc viveret? Nam « furor est — inquit — mensuram eius animo quosdam agitasse atque prodere ausos: alios rursus, occasione hinc sumpta aut his data, innumerabiles tradidisse mundos, ut totidem rerum naturas credi oporteret: aut, si una omnes incubaret, totidem tamen Soles, totidemque lunas et cetera, ut iam in uno, et immensa et innumerabilia sidera... ». Censet ille nonnisi hunc mundum homini investigandum esse; haec enim addit: « Furor est, profecto furor, egredi ex eo, et, tamquam interna eius cuncta plane iam sint nota, ita scrutari extera; quasi vero mensuram ullius rei possit agere, qui sui nesciat, aut mens hominis videre quae mundus ipse non capiat ».

Neque tamen eiusmodi opiniones atque sententias magnam totius operis partem esse credideris: opus enim fere totum mirum quantam earum notionum molem complectitur, quae multo magis ad naturae quam ad litterarum historiam pertinent.

### M. Fabius Quintilianus.

At M. Fabius Quintilianus ab iis, qui litterarum historiae operam dent, magni utique momenti habetur. Qui Calagurre, in Hispania Tarraconensi, anno fere XXXV natus, a patre, qui artem dicendi docebat, Romam adulescens admodum ductus, bonis litteris vacavit atque aliquandiu causas egit. Deinde, cum extrema Neronis aetate

in patriam redisset, artem dicendi ita docuit, ut magnam sibi famam comparaverit; postquam vero Galba a legionibus imperator consalutatus est, hunc Quintilianus Romam est secutus. Atque illic multas quidem orationes habuit, unam vero edidit, *pro Naevio Arpiniano*, uxoricidi reo. Quin etiam tanta propter orationes fama floruit, ut essent qui usque a longinquis regionibus ad eum audiendum accurrerent, cumque iam artem dicendi doceret, Vespasianus princeps, anno LXIX, ludum rhetoricae, quem primus publice aperuit, illi commiserit magistro eique e fisco annua centena constituerit; in quo cum multos atque nobiles iuvenes habuerit discipulos, Plinium illum minorem praeter ceteros dilexit; an etiam Tacitus cum audiverit incertum est. Cum autem a ludo illo iam dives factus secessisset, quinque fere annis post Domitianus Augustus sororis suae nepotum ei delegavit curam.<sup>1</sup> Neque multo ante etiam consul creatus erat. Quibus beneficiis fortasse commotus, tantis laudibus Principem sustulit ut adulationis suspicionem vitare nullo modo posse videatur. Ceterum vir fuit mitis ingenio, a vitiis atque improbitate alienus, uxoris filiorumque amantissimus; quam ob rem, uxore et duobus filiis amissis, vehementissime doluit acerbissimumque animi dolorem ipse in sexti libri prooemio amarissimis verbis significavit. Decessit anno ferme XCVI p. Ch. n.

Qui praeter orationem illam *pro Naevio*, quae periit, ante opus illud quod exstat, de quo statim agemus, alium librum scripserat, ut ipse tradit (Inst. or. VI prooem. 3), *de causis corruptae eloquentiae*, qui ad nos non pervenit; in eo tamen videtur praecipuas ille corruptae eloquentiae causas consuetudini tribuisse publicarum recitationum et Suasoriarum Controversiarumque, quas supra memoravimus. Quin etiam alii duo iam sub eius nomine libri, antequam INSTITUTIONEM ORATORIAM scripserat, ferebantur, ut ipse testatur. Nam in totius operis prooemio (I prooem. 7) « duo — inquit — iam sub nomine meo libri ferebantur artis rhetoricae, neque editi a me neque in hoc comparati. Namque alterum, sermone per biduum habito, pueri, qui-

1. Ut ipse tradit (Inst. Or. IV, prooem. 2). Illi autem Domitiani nepotes filii fuerunt Flaviae Domitillae, quae soror, et Flavi Clementis, qui patruelis fuit Domitiani. Cfr. Suet. Domit. 15.

bus id praestabatur, exceperant; alterum pluribus sane diebus, quantum notando consequi potuerant, interceptum, boni iuvenes, sed nimium amantes mei, temerario editionis honore vulgaverant ».

DECLAMATIONES, quae, in duos libros<sup>1</sup> divisae, Quintiliani nomine ad nos pervenerunt, idcirco praetermitto, quod cum viri litterarum peritissimi fere omnes negant Quintiliano eas tribui posse, tum nulla laude dignae sunt, quippe quae futiles discipulorum exercitationes esse videantur.

At INSTITUTIONIS ORATORIAE libri duodecim magnum exstant litterarum Latinarum monumentum, mentione utique dignum. Quo opere illud in primis ille sibi proposuit, ut, remedia praebendo corruptae eloquentiae, oratorem perfectum institueret. Cum autem putaret, id quod apud Catonem illum Maiorem iam invenimus, qui bonus orator existere vellet, eum omnibus virtutibus ornatum esse oportere, ita perfectum oratorem instituendum sibi sumpsit, ut a primis pueritiae annis ac fere ab ipsa infantia institutionem inciperet. Haec ut confirmem, mihi videtur nonnulla ex eius primo prooemio proferre. Nam « Oratorem — inquit — instituimus illum perfectum, qui esse nisi vir bonus non potest: ideoque non dicendi modo eximiam in eo facultate, sed omnes animi virtutes exigimus. Neque enim hoc concesserim, rationem rectae honestaeque vitae (ut quidam putaverunt) ad philosophos relegendam; cum vir ille vere civilis et publicarum privatarumque rerum administrationi accomodatus, qui regere consiliis urbes, fundare legibus, emendare iudiciis possit, non alius sit profecto quam orator ». (I prooem. 9-10).

Praeclarum igitur munus arti dicendi ille quidem tribuit, hac etiam in re Ciceronem secutus. Cicero tamen et libris *de Oratore* et ceteris operibus, quae ad artem dicendi pertinent, non eo usque descenderat, ut qua ratione pueri instituendi essent doceret. At Quintilianus in primo suae Institutionis libro haec agit: quemadmodum prima elementa tradenda sint; pueri utilius domi an in scholis erudiantur; qua ratione in parvis ingenia dignoscantur et

---

1. Quorum alter XIX, alter CXIV, sed breviores, declamationes continet.

qua tractanda sint. Multa deinde de grammatica et de officio grammatici. Defendit etiam oratori futuro necessariam esse plurium artium scientiam: itaque de musica agit et de geometria et de prima pronuntiationis et gestus institutione. Postremo suadet ut plura eodem tempore prima aetas discat. Haec omnia in libro primo; hic igitur non tam ad dicendi quam ad educandi artem pertinet.

Libro II ea continentur prima opera « quae non ipsa parva sunt, sed maiorum quasi membra atque partes. » (II, 10, 1). Itaque quaeritur quando rhetori tradendus sit puer; qui mores, quae officia praeceptorem deceant; num protinus praeceptore optimo sit utendum; quae primae sint oporteat apud rhetorem exercitationes. Declamationes utiles quidem esse, sed licentiam atque inscitiam declamantium ita coercendas esse, ut non de magis et de pestilentia et de responsis et de aliis rebus fabulosis declametur, sed de iis quae vere in forensibus causis tractentur. Addit artis necessariam esse cognitionem et quis modus in arte sit adhibendus et quid sit rhetorice et quis eius finis. Deinde hanc dicendi artem ab iis defendit, qui « vehementer in eam invehi solent et, quod sit indignissimum in accusationem orationis, utuntur orandi viribus » (II, 16). Iis qui sequuntur libris artem eiusque partes exponit; itaque de *inventione* agit, et de *dispositione* vel *ordine*, in quo quinque definit orationis partes: *prooemium*, *narrationem*, *probationem*, *refutationem*, denique *perorationem*.

Liber octavus est de *elocutione*; cuius praecipuas virtutes duas esse: *perspicuitatem* et *ornatum*. Libro nono de rhetorum figuris agit et quibus rationibus verborum ambitus apte fingi et concludi possit. In reliquis libris multa sunt ad oratorum usum utilissima; quomodo orator firmam dicendi facilitatem sibi comparet et memoriam augeat et sanum iudicium ac rectam pronuntiationem discat. Postremo perfecti oratoris imaginem quandam ita exprimit atque effingit, ut magnam partem moribus tribuat. Nam « Sit ergo — inquit — nobis orator, quem constituimus, is qui a M. Catone finitur *vir bonus dicendi peritus*; verum, id quod et ille posuit prius, et ipsa natura potius et maius est, utique *vir bonus* ». (XII, 1, 1). Nec ignorat quae sibi obici possint. Addit enim: « Nunc de iis



dicendum est, quae mihi quasi conspiratione quadam vulgi reclamari videntur. — Orator ergo Demosthenes non fuit? atqui malum virum accepimus.<sup>1</sup> Non Cicero? atqui huius quoque mores multi reprehendunt. — Quid agam? Magna responsi invidia subeunda est, mitigandae sunt prius aures. Mihi enim nec Demosthenes tam gravi morum dignus videtur invidia, ut omnia, quae in eum ab inimicis congesta sunt, credam, cum pulcherrima eius in re publica consilia et finem vitae clarum legam; nec Marco Tullio defuisse videor in ulla parte civis optimi voluntatem. Testimonio est actus nobilissime consulatus, integerrime provincia administrata, et repudiatus vigintiviratus,<sup>2</sup> et civilibus bellis, quae in aetatem eius gravissima inciderunt, neque spe neque motu declinatus animus, quo minus optimis se partibus, id est rei publicae, iungeret. Parum fortis videtur quibusdam, quibus optime respondit ipse, non se timidum in suscipiendis, sed in providendis periculis; quod probavit morte quoque ipsa, quam praestantissimo suscepit animo ».

Sed, cum de Quintiliani opere agatur, illud nulla ratione praetermitti potest, ex omnibus *Institutionis* libris decimum maximam famam esse consecutum, vel potius primum illud decimi libri caput, quod longissimum est. Cum enim optimos et Graecorum et Latinorum scriptores atque poetas oratori, ut optimam elocutionem discat, legendos ille quidem praebere velit, plurimos ita recenset, ut iudicium de unoquoque paucis proferat. Quae iudicia plerumque ita unicuique accomodata et apta videntur esse, ut fere omnibus iis qui intellegunt probentur. Illud potius quaeritur, utrum ea Quintilianus ex se prompserit an aliunde duxerit. Ceterum nostra quidem aetate in hoc iam fere omnes consentiunt, Quintilianum illa quidem de Graecis iudicia a Dionysio Alicarnasseo vel ab alio Graeco grammatico hausisse, at in Latinis scriptoribus iudicandis suum esse.

Quid autem de oratorum generibus ac de sua aetate senserit, vel ex illo de Cicerone iudicio colligi potest, quod

1. Hinc etiam illud colligi potest, non solum Ciceronem, sed etiam Demosthenem ea quidem aetate male audivisse.

2. Anno enim LIX a. Ch. n. Caesar, Pompeius, Crassus Ciceronem frustra hortati sunt, ut ex viginti viris esset, qui Caesaris legem quandam agrariam exsequendam curarent.

diligentissime legere oportet. Quin etiam id omnibus viribus contendit, ut corruptam eloquentiam ad Ciceronis praestantiam reduceret. Postquam enim Ciceronem cum Demosthene comparavit, haec addit: « Mihi videtur M. Tullius, cum se totum ad imitationem Graecorum contulisset, effinxisse vim Demosthenis, copiam Platonis, iucunditatem Isocratis. Nec vero quod in quoque optimum fuit studio consecutus est tantum, sed plurimas vel potius omnes ex se ipso virtutes extulit, immortalis ingeni beatissima ubertate. Non enim *pluvias*, ut ait Pindarus, *aquas colligit, sed vivo gurgite exundat*, dono quodam providentiae genitus, in quo totas vires suas eloquentia experiretur. Nam quis docere diligentius, movere vehementius potest? Cui tanta unquam iucunditas adfuit? Ut ipsa illa, quae extorquet, impetrare eum credas, et, cum transversum vi sua iudicem ferat, tamen ille non rapi videatur sed sequi. Iam in omnibus, quae dicit, tanta auctoritas inest, ut dissentire pudeat, nec advocati studium, sed testis aut iudicis afferat fidem; cum interim haec omnia, quae vix singula quisquam intentissima cura consequi posset, fluunt illaborata et illa, qua nihil pulcrius auditum est, oratio prae se fert tamen felicissimam facilitatem. Quare non immerito ab hominibus aetatis suae regnare in iudiciis dictus est, apud posteros vero id consecutus, ut Cicero iam non hominis nomen, sed eloquentiae habeatur. Hunc igitur spectemus, hoc propositum nobis sit exemplum, ille se profecisse sciat, cui Cicero valde placebit ». (X, 1, 108-112).

Sed ut eloquentia eo reduceretur, unde iam pluribus de causis deciderat, nulla iam ratione fieri poterat, neque enim est in rerum natura ut tempora praeterita redeant. Ut autem illa Ciceronis eloquentia iterum valeret, publica libertas opus erat, quam unius dominatus et foeda illa patrum adulatio iam diu exstinxerant; alii melioresque mores opus erant, et praecipuae illae veterum Romanorum virtutes, quas vulgus iam aut irridebat aut contemnebat. Aliud tum scribendi genus, aliud iudicium invaluerat; quod Quintilianus ipse, dum conatur corrigere, in suum, ut ita dicam, iam converterat sanguinem, nescio utrum inscius an potius invitus. Eius igitur oratio longe distat

a Cicerone: neque enim verborum ambitus eleganti illa concinnitate nitet. Miram autem illam atque incorruptam Latini sermonis integritatem apud Quintilianum ubi invenias? Quodsi Quintiliani orationem cum Seneca compares, quamquam Seneca verborum ambitus longe aliter ac Cicero concludere solet, tamen plus in hoc nitoris, elegantiae, plus luminum profecto invenias. Atqui Quintilianus, id quod supra haud paucis diximus, Senecae genus scribendi haud leviter reprehendit; nec mirum, in Ciceronis tam vehementi admiratore ac laudatore: quantum enim inter Senecam et Ciceronem interesset, penitus perspexerat.

### Marcus Valerius Martialis.

Redeamus ad poetas. *M. Valerius Martialis* Bilbili, in parvo Hispaniae Tarraconensis oppido, anno fere quadragesimo natus, cum Romam adulescens venisset, neque ad rem publicam accessit unquam, neque ullum publicum munus suscepit, neque ullam causam egit, sed clientem se pluribus patronis locupletibus praebendo et nonnihil pecuniae suis libellis comparando ita vixit, ut in paupertate semper versaretur et ab amicis nonnumquam aliquid peteret. Quamquam enim magno ingenio praeditus fuit, nulli magno operi mentis animique vires impendit, sed, quamvis ad facetas, ut ita dicam, querimonias proclivis, illa clientis vita acquievit, neque aures amicis praebuit ad sollertiam atque industriam hortantibus. Quintiliano quidem illi, quem supra diximus, ut eloquentiae operam daret suadenti, ita respondit:

Quintiliane, vagae moderator summe iuventae,  
gloria Romanae, Quintiliane, togae,  
vivere quod propero pauper nec inutilis annis  
da veniam: properat vivere nemo satis.  
Differat hoc patrios optat qui vincere census  
atriaque immodicis artat imaginibus.  
Me focus et nigros non indignantia fumos  
tectata iuvant, et fons vivus et herba rudis.  
Sit mihi verna satur, sit non doctissima coniunx,  
sit nox cum somno, sit, sine lite dies. (II, 90)

Neque tamen uxorem, nec doctam nec indoctam, ab eo ductam esse constat. Quin etiam, cum a Principe *iure* illo *trium puerorum* quamvis caelebs, id quod iam haud raro fiebat, ornatus esset, faceto dixit Principis munus perituum esse si uxorem duceret:

Natorum mihi ius trium roganti  
Musarum pretium dedit mearum  
solus qui poterat. Valebis, uxor.  
Non debet domini perire munus.<sup>1</sup>

Romae triginta quatuor annos mansit, si breve temporis spatium excipias, quod Fori Corneli<sup>2</sup> egit, anno duodenonagesimo, ut ex tertio epigrammatorum libro colligi potest. In Urbe diu in paupere insula habitavit, colli Quirinali proxima, in vico quodam, cui nomen fuit Pirum: haec, ut alia multa, de se ipse dixit. Nam Luperco cuidam, puerum ad se mittere volenti,

Non est — inquit — quod puerum, Luperce, vexes.  
Longum est, si velit ad Pirum venire;  
et scalis habito tribus, sed altis.

Multis atque ea aetate clarissimis viris familiariter est usus, multosque scriptores atque poetas inter amicos habuit, in quibus Silius Italicus, Quintilianus, Plinius minor, Iulius Frontinus, Iuvenalis maxime sunt mentione digni; sed multorum nomina in eius epigrammatis invenies. Ii praesertim ei faverunt, qui Hispani natione erant, quorum tunc Romae haud exiguus fuit numerus. Nescioquis ei domum in Urbe postea donavit. Etiam praediolum apud Nomentum dono accepit. Neque tamen defuerunt qui Martiali inviderent, quippe qui magnam apud plurimos gratiam suis illis epigrammatis consecutus esset. Eius enim libellos plurimi libentissime legebant, id quod ipse non sine aliqua superbia pluribus locis testatur; quin etiam quae epigrammata nondum in libellos collecta ediderat

1. II, 92. Hoc ius trium puerorum Titus ei concessit, ita tamen, ut honori nulla pecunia adderetur. Postea vero Domitianus honorem emolumento videtur cumulavisse.

2. Hoc oppidum nunc « Imola » nuncupatur.

vulgo probata erant, ut ipse primo primi libri epigrammate gloriatur:

Hic est, quem legis, ille quem requiris,  
toto notus in orbe Martialis  
argutis epigrammaton libellis:  
cui, lector studiose, quod dedisti  
viventi decus atque sentienti,  
rari post cineres habent poetae.

Aliud est epigramma (VI, 61) quod hanc famam ostendit idemque alienam invidiam patefacit:

Laudat, amat, cantat nostros mea Roma libellos,  
meque sinūs omnīs, me manus omnis habet.  
Ecce rubet quidam, pallet, stupet, oscitat, odit.  
Hoc volo: nunc nobis carmina nostra placent.

Titum magnis laudibus celebravit, Domitianum ita adulatus est, ut legentium interdum indignationem moveat. Illud tamen animadvertendum est, aetate illa per paucos ad adulationem non descendisse, Martialem autem eam duxisse vitam, quae potentium favore indigeret. Adde quod tantum abest ut vir ille fuerit sapientis constantia et virtutibus ornatus, ut Epicureorum vivendi rationem secutus sit, neque quicquam magni aut egregi optaverit. Nam Iulium Martialem, amicum iucundissimum, allocutus,

Vitam — inquit — quae faciant beatiorem,  
iucundissime Martialis, haec sunt:  
res non parva labore, sed relictā;  
non ingratus ager, focus perennis;  
lis numquam, toga rara, mens quieta;  
vires ingenuae, salubre corpus;  
prudens simplicitas, pares amici;  
convictus facilis, sine arte mensa;  
nox non ebria, sed soluta curis;  
somnia qui faciat breves tenebras:  
quod sis esse velis nihilque malis;  
summum nec metuas diem nec optes.<sup>1</sup>

1. X, 47. Cfr. etiam V, 20.

Aliud tamen in Urbe desiderium ille quidem sensit nec semper sibi dissimulavit, desiderium patriae telluris, suae illius Hispaniae, unde adulescens discusserat. Itaque Licinianum, clarum ea aetate patronum, Hispanum et ipsum, in patriam redeuntem versibus alloquitur desiderio plenis (I, 49), in quibus alia multa memorat Hispaniae loca et

altam... Bilbilin  
equis et armis nobilem.

Etiam vitam rusticam, ab illa urbana vita remotam, desideravit. Postquam igitur in locum Domitiani interfecti Nerva et Traianus successerunt, cum in invidiam propter improbas illas adulationes atque blanditias incidisset ac magis in dies despici quodammodo videretur, neque iam fieri posset, ut eius laudes a novo illo Principe tamquam verae et simplices libenter acciperentur, Martialis, quippe qui longinquae Hispaniae numquam oblitus esset, in oppidum illud natale ita rediit, ut, quod Romam relinqueret, ubi tantam sibi famam paravisset, maerere quodammodo, idemque, quod desideratam patriam peteret, aliquo solacio levare videretur.

Neque tamen, antequam proficisceretur, Traiani animum non temptavit, insuetis quidem blanditiis, sed blanditiis. Nam

Frustra, — inquit — Blanditiae, venitis ad me  
attritis miserabiles labellis:  
dicturus dominum deumque non sum.  
Iam non est locus hac in urbe vobis.

.....

Non est hic dominus, sed imperator,  
sed iustissimus omnium senator,  
per quem de Stygia domo reducta est  
siccis rustica Veritas capillis.

Hoc sub Principe, si sapis, caveto  
verbis, Roma, prioribus loquaris. (X, 72).

Postquam vero Bilbilim rediit, benignos homines invenit ac praesertim a nobili quadam ac diviti femina, Marcella, villam dono accepit et agros feraces, quibus, si

non divitias, maiora quidem commoda sibi comparavit. Quo temporis spatio quamquam beatam se ipse agere vitam dixit, quamquam « Sic — inquit — me vivere, sic iuvat perire » (XII, 18), saepius tamen videtur ei in mentem venisse urbana illa vita qua tot tantorumque hominum aut amicitiam aut gratiam consecutus erat, tantamque sibi in litteris famam erat adeptus. Quin etiam in epistula illa ad Priscum, quam libro duodecimo praeposuit, de illa « provinciali solitudine » questus est et, cum vellet « contumacissimae trienni desidia » rationem reddere, « hoc — inquit — maximum et primum est, quod civitatis aures, quibus assueveram, quaero et videor mihi in alieno foro litigare; si quid est enim, quod in libellis meis placeat, dictavit auditor: <sup>1</sup> illam iudiciorum subtilitatem, illud materiarum ingenium, bibliothecas, theatra, convictus, ... ad summam omnium illa, quae delicati reliquimus, desideramus quasi destituti. Accedit his municipalium robigo dentium et, iudici loco, livor et unus aut alter mali, in pusillo loco multi... ».

Hac in « solitudine » mortuus est anno ferme CII p. Ch. n. Cuius mortem Plinius minor epistula libri terti vicesima Cornelio Prisco ita nuntiavit:

« Audio Valerium Martialem decessisse et moleste fero. Erat homo ingeniosus, acutus,<sup>2</sup> acer,<sup>3</sup> et qui plurimum in scribendo et salis haberet et fellis, nec candoris<sup>4</sup> minus. Prosecutus eram viatico secedentem: dederam hoc amicitiae, dederam etiam versiculis,<sup>5</sup> quos de me composuit... ».

Martialis<sup>6</sup> quindecim scripsit epigrammaton libros: quorum primus extra numerum ad nos pervenit, sed sub hac inscriptione: LIBER DE SPECTACULIS. Hunc anno LXXX editum esse constat. Triginta tria epigrammata continet, quibus fere omnibus ea spectacula describit vel laudat, quae Titus princeps magnifica ac sumptuosissima edidit,

1. Se dicit impulsus esse quodammodo ut scriberet, quasi poetico quodam spiritu inflatus, ab illis ipsis, quibus sentiret fore ut sua epigrammata probarentur.

2. Nam « noverat pungere ».

3. Italice « mordace » dixeris.

4. Intollege « candore » hic sinceritatem animi significari.

5. Mart. Epigr. X, 19.

ubi primum amphitheatrum Flavium populo aperuit. Post hunc, temporis ordine, XENIA et APOPHORETA<sup>1</sup> ante annum LXXXVI edidit, qui libri, reliquis duodecim, Martiale iam mortuo, postpositi, tamquam XIII et XIV editi sunt. Libros, qui a primo usque ad decimum primum numerati sunt, ab anno fere octogesimo sexto ad decembrem anni nonagesimi sexti singulos fere singulis annis videtur edidisse.<sup>2</sup> At liber duodecimus non ante annum centesimum primum in lucem prodiit, post « contumacissimam » illam in Hispania « trienni desidiam », quam supra memoravimus.

Martialis epigrammata cum metris, tum sententiis varia sunt. Ille enim et elegos et hendecasyllabos et senarios et choliambos et epodos adhibet, ita tamen ut elegos et hendecasyllabos potiores habuisse videatur. Quod ad sententias attinet, varietatem multo maiorem invenias. Neque enim omnia facetiarum sunt plena: multa profecto, quamvis falsis hominum adhibitis nominibus, dicitate et salis acerbitate mordent; in multis ille iras et desideria et varios animi motus ostendit; aliis orat et rogat, aliis ludit, aliis laedit, aliis laudat, aliis adulatur; sermonis nitore ac versuum iuncturis semper laudandus, rerum facetiarumque obscenitate saepe reprehendendus. Neque enim illud videtur honestis hominibus probari posse, quod dixit:

lasciva est nobis pagina vita proba. (I, 4).<sup>3</sup>

Non omnia igitur paribus laudibus digna sunt; ea etiam, quae facetiis nituntur, ut ita dicam, non semper ad risum movendum valent. Hanc varietatem Martialis ipse insigni quodam epigrammate abunde fatetur. Nam

Sunt bona — inquit — sunt quaedam mediocria, sunt  
mala plura,;  
quae legis hic: aliter non fit, Avite, liber. (I, 16).

1. Liber qui *Xenia* inscribitur ea epigrammata continet, quae dona comitarentur, ut ita dicam, quae Saturnalibus ad amicos mitti solebant. *Apophoreta* autem donis et ipsa accomodata erant, quae hospites sortiti secum ferre domum consueverant.

2. Librum tamen X iterum edidit, anno XCVIII.

3. Idem fere Catullus (XVI, v. 5) et Ovidius (Trist. II, 354) dixerant. Cfr. etiam Apul. Apolog. XI.



Idem:

— Triginta toto mala sunt epigrammata libro —.

Si totidem bona sunt, Lause, bonus liber est. (VII, 81).

Quod autem praesertim dicacitatem et sales putavit opus esse, ut bona epigrammata scriberentur, vel ex illis versibus colligi potest, quibus ineptum quendam epigrammatorum scriptorem irrisit:

Dulcia cum tantum scribas epigrammata semper  
et cerussata candidiora cute,  
nullaque mica salis nec amari fellis in illis  
gutta sit, o demens, vis tamen illa legi!  
Nec cibus ipse iuvat morsu fraudatus aceti,  
nec grata est facies cui gelasinus<sup>1</sup> abest. (VII, 25)

.....

Ceterum nemo est, qui neget Martialem eum poetam esse, qui et ingeni acumine et versuum rara peritia et iocorum facetiarumque sale ac felle, quibus in extremis fore singulorum epigrammaton versibus praesertim abundat, saepe admirationem moveat, ideoque locum in eorum numero haud immerito invenerit, qui tamquam veri poetae ab omnibus fere laudentur.

### Decimus Iunius Iuvenalis.

De huius poetae vita pauca comperta habemus. Nam et ipse in suis satiris pauca de se tradidit, et quae in quadam ignoti scriptoris vita de ipso scripta legimus, ea incerta ac fere fabulosa sunt. Tamen ille Aquini, in Volscorum oppido, Neronis temporibus, anno fere sexagesimo natus, cum Romam se contulisset, usque « ad mediam fere aetatem » declamavisse « non mediocri fama » videtur. Eum enim etiam Martialis in epigrammate quodam (VII, 91), quod anno XCI vel XCII scripsit, *facundum* appellavit. Neque solum Martiale, sed etiam Quintiliano et Statio

2. « Gelasinus » (gr. γελαστικός) amabilem illam significat oris rugam, quae more saepe ridendi in facie imprimitur.

aliisque scriptoribus atque poetis ille familiariter usus est. Deinde, cum operam poeticae dare coepisset, Paridem quendam pantomimum, « qui in deliciis apud imperatorem <sup>1</sup> habebatur », mordere <sup>2</sup> ausus, « contra Scotos, qui bellum contra Romanos moverant », praefectus cohortis cuiusdam videtur missus esse. Neque multo post cum Domitianus interfectus esset, Iuvenalis Romam rediit, ubi, « postquam diu tacuit », satirarum genus excoluit, ad id gliscentibus hominum vitiis impulsus et ira atque indignatione incensus. Quod statim e prima illius satira colligere licet. Nam

Si natura negat — inquit —, facit indignatio versum  
qualemcumque potest... (I, 78-79).

Idem paulo infra:

Quidquid agunt homines, votum, timor, ira, voluptas,  
gaudia, discursus nostri farrago libelli est.  
Et quando uberior vitiorum copia? quando  
maior avaritiae patuit sinus?... (I, 84-87).

Sed, ut ad eius vitam redeamus, cum ille Nervae et Traiani aetatem excessisset, extremis vitae annis videtur expertus esse « quantum unius histrionis ira valeret ». Nam « erat tum in deliciis aulae histrio, multique favore eius quotidie provehebantur ». Quod cum Iuvenalis aegre ferret, paucos versus, quos in illum Domitiani Paridem scripsisset, in satiram septimam eum inseruisse tradunt. Quae, cum Hadrianus audivisset, ira permotum, quod suae aetatis vitia carpi intellexisset, « nulla alia occasione reperta struendae mortis in Iuvenalem, per honorem militiolae » effecisse ut hic, quamvis octogenarius, ad praefecturam cohortis, in extrema Aegypti parte tendentis, proficisceretur. Ibi Iuvenalem, « senio et taedio vitae confectum », diem suum obisse.

Haec, quae partim ex Iuvenalis vita, quam supra dixi, colligi possunt, partim ipsius satiris confirmari videntur, quatenus vera sint incertum est.

1. Domitianum.

2. Cfr. Iuvon. Sat. VII. 81-83.

Ut vero ad satiras veniamus, sedecim illae sunt, in quinque libros ita divisae, ut liber I quinque primas, secundus sextam tantum, quae ex DCLXI versibus constat, tertius septimam, octavam, nonam, quartus decimam, undecimam, duodecimam, quintus denique reliquas complectatur: quarum ultima inchoata ad nos pervenit. Hac tamen satirae non secundum libros memorari solent, sed quo numero a prima ad decimam sextam totam seriem complent. Ac *satira prima* tamquam prooemium totius operis videtur esse, id quod vel ex iis colligi potest quae supra dixi. In hac enim Iuvenalis, postquam poetarum epicorum morem irrisit, qui antiquas fabulas inepte texerent atque retexerent, se ad satirarum genus idcirco impulsus esse ostendit, quod turpissima vitia in hominum societate magis magisque furere ac debacchari videret: eaque vitia asperrimis verbis notat atque reprehendit idemque multas tamquam tabulas paucis pingit improborum hominum, qui, cum turpissimis vitiis vel sceleribus indulgeant, divitiis vel honoribus affluant. Cum autem aliquem induxerit obiectantem periculosum esse ea aetate vitia aperte reprehendere, ille quidem respondet mortuorum vitia se reprehensurum esse. Nam

Experiar — inquit — quid concedatur in illos  
quorum Flaminiam<sup>1</sup> tegitur cinis atque Latinam.<sup>1</sup>

Hac vero sententia, qua satira prima clauditur, consilium Iuvenalis ostenditur suae aetatis vitia sub nominibus superioris aetatis reprehendendi. Haud iure igitur accusatur, quod in mortuos acriter invectus sit; nihil enim aliud praestant mortui nisi nomina: re vera qui tum vivebant atque vigeabant divitiisque, honoribus, potentia florebant, eos Iuvenalis verborum acumine aggreditur et flagellis, ut ita dicam, insequitur.

*Secunda* vitiis atque ignominia affluit eorum, qui virtutes laudant, turpia agunt vel, ut ipsius verbis utar,

qui Curios simulant et Bacchanalia vivunt. (II, 3).

1. I, 170-171. Sepulcra significat, quibus Flaminiae et Sabinae viarum latera, ut ita dicam, cingebantur.

*Tertia* magnis laudibus est digna quippe quae plures ostendat quasi tabellas, in quibus multos illius aetatis Urbis incolas eorumque vitas et vitia et incommoda picta videas. Nam fingit ille Umbricium quendam, Iuvenalis amicum, ab Urbe idcirco secedentem, quod pauperes iidemque probi homines Romae iam vivere non possint, cum improbi ac scelesti, quamvis obscuro et ignobili loco orti, impudenter atque impune dominantur et urbs plena sit Graccorum exterarumque gentium. Romae praeterea multa incommoda, multa pericula esse: aedium labentium ruinas et plurima incendia; et pauperes quidem incendiis in maiorem paupertatem atque egestatem redigi, at divites suas opes augere, cum ad eos amici multa conferant, pecuniam, signa, libros, suppellectilem congerant: adde vias angustas, ingenti turba differtas, et res varias per fenestras deiectas ac super hominum meantium capita cadentia; adde ebrios homines saepe obvios, adde violentos. Ita que

ego — inquit — vel Prochytam<sup>1</sup> praepono Suburae.  
 Nam quid tam miserum, tam solum vidimus, ut non  
 deterius credas horrere incendia, lapsus  
 tectorum adsiduos ac mille pericula saevae  
 Urbis, et Augusto recitantes mense poetas? (III, 5-9).

Nam etiam malos illos poetas recitantes, et mense Augusto recitantes, Iuvenalis fastidiebat. Deinde Umbricium:

Quid Romae faciam? — inquit — Mentiri nescio;  
 librum,  
 si malus est, nequeo laudare et poscere, motus  
 astrorum ignoro; funus promittere patris  
 nec volo nec possum.....  
 me nemo ministro  
 fur erit.....  
 Quis nunc diligitur, nisi conscius et cui fervens  
 aestuat occultis animus semperque tacendis?  
 Nil tibi se debere putat, nil conferet unquam

1. Nunc « Procida » Italice nuncupatur, insula circa Campaniae oram.

participem qui te secreti fecit honesti;  
 carus erit Verri, qui Verrem tempore quo vult  
 accusare potest. (III, 41-54 passim.)

Idem

Non possum ferre, Quirites,  
 Graecam urbem.<sup>1</sup>

Romae pauper ille Codrus nihil fere etiam ante incen-  
 dium habuit; post incendium vero nihil omnino habet.

Nil habuit Codrus, quis enim negat? et tamen illud  
 perdidit infelix totum nihil; ultimus autem  
 aerumnae est cumulus, quod nudum et frusta  
 rogantem  
 nemo cibo, nemo hospitio tectoque iuvabit.  
 (III, 206-209).

Romae pauperes dormire non possunt nimio illo viarum  
 clangore atque tumultu.

Plurimus hic aeger moritur vigilando...  
 ... Nam quae meritoria<sup>2</sup> somnum  
 admittunt? Magnis opibus dormitur in Urbe.

Denique multa ille paucis significat, resque omnes  
 gravi verborum pondere legentium animis fere inculcat  
 atque imprimit.

In *satira quarta*, postquam in Crispinum quendam in-  
 vectus est, narrat, cum ingens rhombus retibus captus  
 esset, hunc destinatum esse Domitiano. Nam

quidquid conspicuum pulcrumque est aequore toto  
 res fisci est ubicumque natat. (IV, 54-55)

Sed cum deesset « pisci patinae mensura » vocatos esse  
 in consilium proceres

quos oderat ille;  
 in quorum facie miseræ magnæque sedebat  
 pallor amicitiae.<sup>3</sup>

1. I. e. Romam Graecis et hominibus et moribus fere inundatam.

2. I. e. « cubicula conducticia ».

3. Nam amicos saevi illius Principis esse, periculosum fuit.

Tum eos maxima cum gravitate sententias suas de coquendo rhombo ita dixisse, ut adulationibus inter se certarent. Ad huiusmodi ineptias descendisse Romae, Domitiano principe, publica consilia! Postremo Domitianum quaesivisse:

Quidnam igitur censes? conciditur? — Absit ab illo dedecus hoc — Montanus ait; — testa alta paretur, quae tenui muro spatiosum colligat orbem.

Debetur magnus patinae subitusque Prometheus:<sup>1</sup> argillam atque rotam citius properate! sed ex hoc tempore iam Caesar figuli tua castra sequantur.

(IV, 130-135).

Tum

Surgitur et misso proceres exire iubentur consilio, quos Albanam dux magnus<sup>2</sup> in arcem traxerat attonitos<sup>3</sup> et festinare coactos, tanquam de Chattis aliquid torvisque Sycambris dicturus, tanquam et diversis partibus orbis anxia praecipiti venisset epistula pinna.

In *satira quinta* avaros patronos reprehendit, qui invitatis clientibus viles cibos, sibi vero sumptuosissima feracula iubent; nec patienti ac timido clienti parcat. Hunc enim allocutus, his versibus satiram concludit:

Ille<sup>4</sup> sapit qui te sic utitur. Omnia ferro si potes, et debes: pulsandum vertice raso praebebis quandoque caput, nec dura timebis flagra pati, his epulis et tali dignus amico.

*Satira sexta*, omnium longissima et notissima, in illius aetatis mulieres tota scripta est; quas tot tantisque vitiis et cupiditatibus et sceleribus foedas descripsit, ut mala in peius vertisse ille quidem et omnia dicendo auxisse videatur. Neque enim fieri poterat ut civitas, cuius mulieres tam pravis moribus essent, etiam tum staret neque dissolveretur. Ceterum ut in mulieres ita invehatur, occasionem

1. I. e. peritissimus figulus, qui arte cum Promethoo contendere possit.

2. I. e. Domitianus; neque te dissimulatio fugiat.

3. Attonitos metu; sciebant enim saevitiam « magni illius ducis ».

4. Patronus avarus.

inde nanciscitur, quod Ursidius Postumus quidam in eo est, ut uxorem ducat. Cui ille

Dic, qua Tisiphone, quibus exagitare colubris?  
 Ferre potes dominam salvis tot restibus<sup>1</sup> ullam,  
 Cum pateant altae caligantesque fenestrae,  
 Cum tibi vicinum se praebeat Aemilius pons?  
 (VI, 29-32).

Haec vero nonnihil veteris illius Latinae comoediae sapiunt. Neque reticendum est Iuvenalis sententias de moribus a Christianorum doctrina nonnumquam longe abesse nec semper honestas esse. Romanarum tamen mulierum ac praesertim uxorum vitia apertissime reprehendit atque ita describit, ut multas tamquam tabulas pictas legentium oculis praebeat. In his corruptissimis feminis Messalina, Claudii uxor, haud parvum obtinet locum. Neque sententiae desunt, quae fere in proverbii consuetudinem venerint, ut versus hic quo imperiosam quandam uxorem ille fingit uti solitam:

hoc volo, sic iubeo; sit pro ratione voluntas. (VI, 223)

Hic etiam illud invenias:

Quis custodiet ipsos  
 custodes? (VI, 347-348)

et

Nunc patimur longae pacis mala, saevior armis  
 luxuria incubuit victumque ulciscitur orbem.  
 Nullum crimen abest facinusque libidinis, ex quo  
 paupertas Romana perit. (VI, 292-295).

Postremo nonnulla fabularum scelestas feminas ille memorat, quibuscum suae aetatis mulieres comparatas dicit esse peiores: « Clytaemestram nullus non vicus habebit ». (VI, 656) Quin etiam

Spectant subeuntem fata mariti  
 Alcestim et, similis si permutatio detur,  
 Morte viri cupiant animam servare catellae.  
 (VI, 652-554)

1. Intellego « quibus te suspendas ».

In *septima satira* et Principi<sup>1</sup> gratulatur, qui litterarum studia foveat et de poetarum egestate queritur: hic illi versus occurrunt de Statio, quos supra dixi.

*Octavā vero* de vera nobilitate vehementer disserit, quam non a maioribus pendere defendit, sed virtute contineri. Nam

tota licet veteres exornent undique cerae<sup>2</sup>  
atria, nobilitas sola est atque unica virtus.

(VIII, 19-20)

Itaque multos homines nobilissimos memorat superiorum aetatum omni vituperatione dignos, multos obscuro loco natos, qui tamen res domi bellive egregias gesserunt.

Quid, Catilina, tuis natalibus atque Cethegi  
inveniet quisquam sublimius? Arma tamen vos  
nocturna et flammās domibus templisque paratis...  
sed vigilat consul vexillaque vestra coercet.  
Hic novus Arpinas, ignobilis et modo Romae  
municipalis eques...

Sed Roma parentem

Roma patrem patriae Ciceronem libera dixit.

(VIII, 231-244 passim)

Hic Marium, alium Arpinatem, eiusque res egregie gestas memorat. Itaque

Malo — inquit — pater tibi sit Thersites, dummodo  
tu sis

Aeacidae<sup>3</sup> similis Volcaniaque arma capessas,  
quam te Thersitae similem producat Achilles.

(VIII, 269-271)

Omnes denique, si tempora altius repetas, Romanos ab humillimis vel turpibus maioribus ortos esse ostendit.

Et tamen, ut longe repetas longeque revolvās  
nomen, ab infami gentem deducis asylo:

1. Traiano, ut videtur.

2. I. e. malorum imaginum.

3. I. e. Achilli.



maiorum primus quisquis fuit ille tuorum,  
aut pastor fuit aut illud quod dicere nolo.<sup>1</sup>

*Nona* de turpissimorum hominum genere est, quod ignominia onerat ac foedis coloribus pingit.

Hae saturae, quas hactenus diximus, vehementiores sunt et, quamvis interdum brevitae conspicuae, aliquid tamen declamationis sapiunt; pacatiores sunt reliquae atque ab illa Horati urbanitate minus videntur abesse.

*Decima* igitur de falsis bonis ille quidem agit. Nam

omnibus in terris, quae sunt a Gadibus usque  
Auroram et Gangem, pauci dignoscere possunt  
vera bona atque illis multum diversa, remota  
erroris nebula. (XI, 1-4)

Itaque divitias, potentiam, dicendi gloriam, bellicas laudes, vitae diuturnitatem, falsa bona esse, quibus vera mala saepe contineantur, haud paucis exemplis demonstrat.

*Undecima* de conviviis est sumptuosis, quibus frugales mensas opponit itaque describit, ut plures hae habeantur.

*Duodecima* similior est epistolae quam satirae: nam ad Corvinum amicum scribens, horrendam quandam narrat procellam, quam Catullus, alter amicus, vix effugerit. Deinde quod Catullum laudet, non ex eo oriri, quod illius heres fieri cupiat. Hanc igitur occasionem nactus, eos irridet qui testamenta captent, id quod etiam Horatius fecerat.

Quid *satira decima tertia* contineatur, ex quattuor ipsius primis versibus colligi potest. Nam

Exemplo — inquit — quodcumque malo committitur,  
ipsi  
displicet auctori. Prima est haec ultio, quod se  
iudice nemo nocens absolvitur, improba quamvis  
gratia fallaci praetoris vicerit urna. (XIII, 1-4)

Quae sententia omnibus laudibus est digna.

1. VIII, 272-275. Quibus versibus haec satira concluditur.

*Decima quarta* e duabus constat partibus tenui nexu coniunctis; quarum priore parentes monentur, ut filios bene instituant; altera parte divitiarum cupiditas corripitur, multorum scelerum causa. Hanc numquam satiari posse. Nam

Nec Croesi fortuna unquam nec Persica regna  
sufficient animo nec divitiae Narcissi,<sup>1</sup>  
indulsit Caesar cui Claudius omnia, cuius  
paruit imperiis uxorem occidere iussus.<sup>2</sup>

*Decima quinta* Aegyptiorum religionem reprehendit; nam

... nefas illic fetum iugulare capellae:  
carnibus humanis vesci licet. (XV, 12-13)

Itaque, postquam antiquam simultatem et «immortale odium», quo duae Aegyptiorum civitates arderent, descripsit, earum feritatem explicat, qua, in furorem conversi, interfectorum corpora momorderint atque comederint.

Quid diceret ergo,  
vel quo non fugeret, si nunc haec monstra videret,  
Pythagoras, cunctis animalibus abstinuit qui  
tamquam homine, et ventri indulsit non omne  
legumen?<sup>3</sup>

*Decima sexta* denique, quae ad nos inchoata pervenit, militiae nimium studium et incommoda reprehendit.

Haec fere Iuvenalis satiris continentur. Quae non una eademque ratione iudicatae sunt. Fuerunt enim qui eas reprehenderent, quod ad declamationum consuetudinem quam ad veram poesim propius accederent, quodque iis mortui magis vituperarentur quam vivi admonerentur: addunt etiam Iuvenalem interdum falsa quadam indignatione motum esse et ideo ira succensusse, quod vellet versibus materiam et impetum invenire; praeterea mala et vitia dicendo auxisse, hominum mores deterioribus, ut

1. Qui Claudi principis libertus potentissimus fuit. Cfr. Tac. Ann. XI.

2. XIV, 328-331. Narcissus enim necem Messalinae suo ipsius arbitrio festinavit, veritus ne Claudius consilium eius occidendae mutaret.

3. XVI, 171-174. Ventri enim etiam fabam negavit.

ita dicam, coloribus pinxisse, verborum obscenitatem saepius adhibuisse. Alii contra defendunt eum dignum esse qui in maximorum poetarum numero ponatur, eiusque vim laudibus celebrant et acrem brevitatem efferunt, qua vitia notaverit, et indignationem illam sinceram esse iudicant eaque tantum impetum tamque elatum spiritum contineri, ut vera atque praeclara poesis efficiatur: postremo verborum obscenitatem eam esse, qua legentium animi, non ad vitia alliciantur, sed a turpitudine magis abhorreant. Ceterum in Iuvenalis satiris multa illis reprehensionibus digna, multa his laudibus non indigna invenias. Quod autem ad mortuorum vituperationem adtinet, illud veri simile videtur, Iuvenalem, cum periculosum esset viventium vitia acriter reprehendere, idcirco in mortuos invectum esse, ut eorum nominibus improbos homines suae aetatis corripere. Omnes vero qui intellegunt in id consentiunt, Iuvenali felicem illam Horati urbanitatem in moribus castigandis defuisse, praesertim in novem illis satiris prioribus.

### Cornelius Tacitus.

Huius praeclarissimi rerum scriptoris praenomen ignoramus. Utrum vero Romae an Interamnae an alibi natus sit, haud satis constat; neque enim illud magni momenti est, quod M. Claudius Tacitus, qui anno fere CCLXXV summum imperium obtinuit, Interamnae natus, gloriatus est<sup>1</sup> se a Cornelio Tacito ortum esse. Anno fere LV videtur natus esse praeclaris parentibus. Eloquentiae studiis Romae profecto operam dedit, etiam Quintiliano fortasse magistro usus. Plinium minorem in amicorum numero habuit. Quamquam vero magni oratoris famam sibi comparavit, ad historiam tamen potissimum se contulit. Neque a re publica omnino secessit. Ipse enim in Historiis (I, 1) de se: « Dignitatem nostram — inquit — a Vespasiano inchoatam, a Tito auctam, a Domitiano longius proVectam non abnuerim ». Nam sub Vespasiano et Tito quaestor et tribunus militum; Domitiano autem imperium obti-

1. Cfr. Vopisc. Tac. X.

nente, tribunus plebis, aedilis, praetor, quindecimvir; deinde vel legatus in Germania vel pro praetore in Gallia Belgica fuit. Anno denique nonagesimo septimo, iam principe Nerva, consul suffectus fuit. Uxorem iam pridem filiam duxerat Agricolae, qui Britanniam pacavit, cuius res egregie gestas postea Tacitus narravit et laudavit.

Anno fere centesimo in Marium Priscum, Asiae proconsulem, de repetundis reum, luculentam orationem habuit, quam Plinius, qui Priscum et ipse accusavit, laudibus extulit. Deinde in Asia proconsul fuit. Extremos denique vitae annos procul a publicis negotiis ita egit, ut summis historiae operibus vacaret. De vita decessit anno fere CXX.

Cuius haec opera ad nos pervenerunt, vel tota vel aliqua ex parte: DE VITA ET MORIBUS IULI AGRICOLAE et DE ORIGINE, SITU, MORIBUS AC POPULIS GERMANIAE et HISTORIARUM LIBRI et ANNALIUM vel AB EXCESSU DIVI AUGUSTI LIBRI. Adde DIALOGUM DE ORATORIBUS quem an Tacitus scripserit adhuc incertum est, quamquam plerique ad hanc opinionem iam sunt propensiores. Quodsi hic dialogus Tacito tribuitur, arguendum est eum hoc opus primum scripsisse,<sup>1</sup> cum ab eloquentiae studiis atque a Quintiliani institutione recens esset, antequam ad Historiam se conferret. Utcumque vero res se habet, fingit ille hunc dialogum in annum fere LXXVI incidisse, inter Curiatium Maternum, ex oratore poetam, et Marcum Aprum atque Iulium Secundum, insignes viros artis dicendi studiosos, et Vipstanum Messallam, veteris eloquentiae laudatorem. Hos tribus praesertim de quaestionibus ita disseruisse, ut Marcus Aper, Maternum a poeticis studiis avocare tentans, oratoriae artis utilitatem, voluptatem, dignitatem celebraret laudibus, poeticam tamquam utilitate et dignitate carentem deprimeret; Maternus contra poeticæ studio securitatem et innocentiam praestari defenderet maioremque gloriam quam forensi labore voluptatemque maiorem; Vipstanus autem Messalla adversus Aprum, sui saeculi oratores laudantem, antiquis oratoribus faveret, causasque explicaret, quibus eloquentia ceteraeque artes a veteri gloria descivissent; has causas desi-

1. Videtur tamen non ante Domitiani excessum id edidisse.

dia iuvenum, negligentia parentum, inscientia praeceptorum, oblivione antiqui moris contineri. Praeterea antiquitus iuvenes, domestica disciplina imbutos, deduci solitos fuisse ad summos oratores, apud quos pugnare fere discerent in foro; postea vero scholas rhetorum frequentare coepisse, ubi eorum, quae usui essent, nihil fere disceretur.

Hic nescioqua dialogi pars desideratur, qua fortasse etiam Iulii Secundi verba continebantur. Deinde Maternus quantum perturbatio olim et licentia, quantum partium in re publica certamina eloquentiae contulerint etiam Demosthenis et Ciceronis exemplis ostendit. Oratoribus olim clamore plausuque animum additum esse. At sub principatu res vel in solitudine agi. Eloquentiam, licentiae quasi alumnam, in civitatibus bene constitutis oriri non posse. « Quodsi inveniretur aliqua civitas, in qua nemo peccaret, supervacuus esset inter innocentes orator, sicut inter sanos medicus... Minor oratorum obscuriorque gloria est inter bonos mores et in obsequium regentis paratos... Credite, optimi et, in quantum opus est, disertissimi viri, si aut vos prioribus saeculis aut isti, quos miramur, his nati essent ac deus aliquis vitas vestras, vestra tempora repente mutasset, nec vobis summa illa laus et gloria in eloquentia, neque illis modus et temperamentum defuisset ».<sup>1</sup>

Hoc opus eo dicendi genere scriptum est, quod et a Cicerone non multum abesse videatur, et ceteris Taciti operibus dissimillimum sit. Quod ipsum dubitationem affert an non Tacito tribui possit. Ceterum illud non est obliviscendum veteres scriptores orationem ita rei aptare solitos fuisse, ut saepius in variis operibus non iidem esse videantur. Nihil enim est quod miremur, Tacitum eo in opere, quod esset de arte dicendi, eadem fere oratione usum esse quam Cicero adhibuerit, praesertim cum nonnulla indicia appareant, ex quibus colligi possit, Tacitum Quintilianum auditorem fuisse ideoque optavisse ut eloquentia ad Ciceronis praestantiam reduceretur.

At liber DE VITA ET MORIBUS IULI AGRICOLAE et DE ORIGINE SITU MORIBUS AC POPULIS GERMANIAE liber,

1. Dial. XLI, quod paene ultimum dialogi caput est.

quorum uterque quadraginta sex capita continet, prima sunt Taciti opera, quae ad historiam pertineant, cum utrumque anno fere duodecentesimo scriptum sit, post Domitiani necem, « beatissimi — ut ipse dicit — saeculi ortu ». Tum enim miserrimum saevissimi dominatus saeculum clausum esse, tum demum novae spes ac civilis libertas arridere videbantur, cum Nerva Caesar « res olim dissociabiles, Principatum ac libertatem », miscuisset augetque « quotidie felicitatem imperi Nerva Traianus ». (Agric. III). Ille igitur « Nunc demum — inquit — redit animus » et, cum « per quindecim annos, grande mortalis aevi spatium, multi fortuitis casibus, promptissimus quisque saevitia Principis interciderint », se una cum paucis, non modo aliorum sed etiam sui superstitem quodammodo sentit esse. (Agric. III) Idem se sperare fatetur fore ut hic liber, honori Agricolae soceri sui destinatus, professione pietatis aut laudetur aut excusetur. (Agric. III). Deinde Agricolae vitam narrare ita incipit, ut eius stirpem, institutionem, studia ostendat; tum prima eius stipendia et matrimonium et luctus et cursum honorum exponit. Postquam vero dixit eum Britanniae praefectum esse, Britannorum originem, habitum, sacra, sermonem, mores, militiam, caelum, solum, metalla tradit, et Caesarum in Britanniam expeditiones consulariumque legatorum res gestas et rebellionem Boadicca duce coeptam, a Suetonio Paulino compressam narrat. Neque multo post Agricolam totam provinciam pacavisse, magnis suis virtutibus retinuisse, novasque gentes nova expeditione Romanis aperuisse. Britannos autem Calgaco duce rebellantes atrocissimo proelio devictos esse. Huius magnae victoriae nuntium a Domitiano exceptum esse falsa laetitia, quippe qui Agricolae invideret. Honores tamen victori decretos esse. Agricolam vero, postquam provincia decessisset, modestam Romae vitam egisse, saepe tamen apud Domitianum accusatum et absolutum. « Causa periculi non crimen ullum aut querela laesi cuiusquam, sed infensus virtutibus princeps et gloria viri ac, pessimum inimicorum genus, laudantes ». (Agr. XLI).

Agricolam tamen multa pericula moderatione et prudentia vitavisse. « Quia non contumacia neque inani iacta-

tione libertatis famam fatumque provocabat ». Hinc occasionem nactus, hoc Tacitus prudenter monet: « Sciant — inquit — quibus moris<sup>1</sup> illicita mirari, posse etiam sub malis Principibus magnos viros esse; obsequiumque ac modestiam, si industria ac vigor adsint, eo laudis excedere, quo plerique per abrupta, sed in nullum rei publicae usum ambitiosa morte inclaruerunt ». (Agric. XLII). Neque tamen Agricola sine suspicione veneni mortuum esse dicit, quamquam « nobis — inquit — nihil comperti adfirmare ausim ». Extrema autem libri parte magnas Tacitus laudes socero tribuit, elatasque sententias atque ingeni ignes plenis, ut ita dicam, manibus ita serit, ut legentium animos ad admirationem moveat. « Tu vero felix, Agricola, non vitae tantum claritate, sed etiam opportunitate mortis (ut perhibent, qui interfuerunt novissimis sermonibus tuis) constans et libens fatum excepisti; tamquam pro virili portione innocentiam Principi donares. Sed mihi filiaeque, praeter acerbitatem parentis erepti, auget maestitiam quod adsidere valetudini, fovere deficientem, satiari vultu, complexu, non contigit.<sup>1</sup> Excepissemus certe mandata vocesque, quas penitus animo figeremus. (Agric. XLV)... Id filiae quoque uxori<sup>2</sup> praeceperim, sic patris, sic mariti memoriam venerari, ut omnia facta dictaque eius secum revolvant famamque ac figuram animi magis quam corporis complectantur... Quidquid ex Agricola amavimus, quidquid mirati sumus, manet mansurumque est in animis hominum, in aeternitate temporum, fama rerum. Nam multos veterum velut inglorios et ignobiles oblivio obruet: Agricola posteritati narratus et traditus superstes erit ». (Agric. XLVI).

His postremis verbis, quae videntur ad laudationem funebrem pertinere, concluditur liber. In quo alius locus est maxime mentione dignus, quo Calgaci, Britannorum ducis, oratio continetur: quamquam enim Tacitus Romanorum potentiae favet exterasque gentes plerumque modo non spernit et Romanis merito obnoxias esse censet, ita

1. I. e. « quibus mos est ».

2. Tacitus enim eiusque uxor, eademque Agricolae filia, anno XCIII, quo ille mortuus est, procul ab Urbe manebant, in Gallia Belgica fortasse.

3. Nam uxor Agricolae superfuit.

legentium animis suas sententias imprimat. Idem tantum abest ut a poetico, quem dicunt, colore abhorreat, ut saepius cum singulorum hominum, tum vulgi et togatae sagittaeque multitudinis motus animi ita sub ipsis legentium oculis fere ostendat, ut illum optimum verbis quasi pictorem optimumque poetam quamvis soluta oratione haud inmerito dicas. Neque tantum ea quae sensibus percipiuntur describit ac narrat, sed hominum animos altius intuetur ac manifesto aperit; praesertim occulta mentium examinare ac concutere solet, simulationem ac perfidiam acriter persequitur, prava consilia atque opera perpaucis iisdemque gravissimis verbis notat, ita tamen, ut suam illam animi constantiam numquam exuat, eoque magis legentium animos variis animi sensibus permoveat, quod ipse numquam fere perturbari videtur. Quod autem ad historiae fidem pertinet, illud est animadvertendum, eum res ita tradere solere ut evenerint, nec unquam consulto mentiri, consilia vero et animi sensus multorum hominum in deterius sua quadam naturae proclivitate vertere consuevisse. Tiberium quidem, cuius obscuram quamdam ac trucem saevamque animi imaginem ille tradidit, hac nostra aetate fuerunt qui valide defenderent coloribusque, ut ita dicam, longe melioribus fingerent, iis ipsis factis nixi, quae Tacitus tradidit. Neque vero id putari potest, Tacitum a rerum veritate consulto aberravisse; sed taeterrima illa morum corruptione percussus, cum omnia vidisset adulationis, ignaviae, falsitatis, turpissimae servitutis plena, Principes plerumque suo illi ingenti muneri omnia regendi impares, senatum ad omnes adsentationes et blanditias pronum, vulgus omnibus vitiis deditum, fraudibus deceptum, libertatis oblitum; secreto quodam dolore ac maerore impulsus, ubi primum animi sensus aperire licuit, quos diu presserat, hoc mentis levamen sibi concessit. Nec tamen in quemquam vehementer est invectus, sed, id quod supra dixi, constantem illum orationis cursum, ut ita dicam, obtinuit, quo narrando, non oratoris munus attingendo, homines eorumque facta mirum in modum expressit. Praeterea, cum esset libertatis amantissimus, veterem illam Senatus populi que Romani rem publicam non potuit non admirari ac desiderare; principatum tamen tam lato im-



perio necessarium esse putavit. Vidit enim ipse, quam tempora, mores, hominum ingenia, mutata essent. Quin etiam doluit, quod iam res magnas narrare non posset, quas superiores rerum scriptores narravissent. Nam « ploraeque — inquit — eorum, quae retuli quaeque referam, parva forsitan et levia memoratu videri, non nescius sum; sed nemo Annales nostros cum scriptura eorum contenderit, qui veteres populi Romani res composuere. Ingentia illi bella, expugnationes urbium, fusos captosque reges aut, si quando ad interna praeverterent, discordias consulum adversus tribunos, agrarias frumentariasque leges, plebis et optimatum certamina libero egressu memorabant. Nobis in arto et inglorius labor ». (Ann. IV, 32).

Ceterum iis qui intellegunt Taciti labor neque in arto neque inglorius videtur esse. Quae autem ille de suis Annalibus paulo infra (Ann. IV, 33) iudicavit, non omnia vera esse concedimus. Ille enim « ut profutura — inquit — ita minimum oblectationis adferunt. Nam situs gentium, varietates proeliorum, clari ducum exitus retinent ac redintegrant legentium animum: <sup>1</sup> nos saeva iussa, continuas accusationes, fallaces amicitias, perniciem innocentium et easdem exitu causas coniungimus; obvia rerum similitudine et satietate ». Haec non sine aliqua modestia dicta sunt. Res enim ille mira quadam arte variare solet ac distinguere. Neque semper tætra illa quae recenset; sed interdum res egregie gestas et fortissimorum hominum virtutes et praeclaras mortes memorat; atque etiam ipsa scelera ita narrat, ut vitia reprehendere, virtutes laudare videatur. Adde quod orationes nonnumquam intericit, breves illas quidem, sed ita sententiarum pondere graves, ita verborum luminibus distinctas ac varias, ut legentium animi mirum in modum iuventur ac delectentur. Quodsi cum mirabili illa scribendi arte diligentiore curam atque subtiliorem investigationem veritatis coniunxisset, omnium Latinorum rerum scriptorum facile maximus existeret. Nunc autem illi nonnihil nocuit, quod non omnia semper librato examine perpendit et ea praesertim, quae ad longinquas gentes et regiones pertinerent pronis interdum auri-

1. Ea praesertim significat, quae Livius narraverat.

bus excepit, ut quaedam de Iudaeis in prima quae exstat quinti Historiarum libri parte. Itemque Christianis infensum se praebuit, nulla profecto alia de causa, nisi quod turpissima illa ac scelestissima de iis, ut vulgus insipientium, falso crediderat. Nemo tamen dubitare potest quin Tacitus dignus sit, qui in maximorum omnium temporum rerum scriptorum numero habeatur.

### C. Plinius Caecilius Secundus.

P. Caecilius Secundus, L. Caecili Secundi filius et Pliniae, quae Plini Maioris soror fuit, Novi Comi anno LXII natus, cum puer patrem amisisset, ab avunculo adscitus, huius nomen ex more assumpsit, optimisque magistris traditus, in litterarum studia toto pectore ita incubuit, ut, decimum quintum annum agens, tragoediam Graece scripserit. Nec multo post, cum Quintilianum audire coepisset, huius benevolentiam atque amorem ita sibi conciliavit, ut primum in illius discipulorum numero locum obtinuisse videatur. Cursum honorum sub Domitiano decemvir «slitibus iudicandis» iniit, eodemque principe tribunus militaris in Syria ac deinceps quaestor, tribunus, praetor fuit. Romae multos atque egregios viros cognovit carosque habuit, carus ipse, in quibus et Tacitus fuit et Suetonius. Meritum Pliniam, qui Africanos avarissime spoliaverat, una cum Tacito accusavit, non quod accusatoris munere gauderet — nam ab odiis ac simultatibus naturam alienus fuit, ad benevolentiam et amicitiam proclivis —; sed quia miseros illos provinciales defendere officium honesti civis esse putavit. Interea praefectus primo aerari militaris, deinde aerari Saturni fuit. Anno centesimo consul a Traiano creatus, hunc Principem praeclaro illo PANEGYRICO in Senatu laudavit — mos enim invaluerat ut consules designati Principi gratias agerent. Anno fere CXI, ut videtur, eum Traianus legatum pro praetore consulari potestate in Bithyniam misit, ubi, si non magnam rerum civilium peritiam ostendit, at singularem quandam comitatem et probitatem etiam adversus Christianos vel adhibuit vel adhibere ille quidem optavit. Neque tamen

Christianorum mores et doctrinam satis inspexit, quam negligentiam cum Tacito aliisque eiusdem aetatis insignibus viris communem habuit. Ceterum vir probus et virtutis amans fuit, gloriae cupidus, Stoicorum praecepta magna quidem ex parte secutus. Mortuus est anno fere CXIII, Romae an in Bithynia haud satis constat.

Etiam versuum quattuor libros Plinius scripsit, quorum unum, «hendecasyllaborum», multis laudibus celebrari ipse tradidit. Nam «legitur — inquit —, describitur, cantatur etiam et a Graecis quoque, quos Latine huius libelli amor docuit,<sup>1</sup> nunc citharā nunc lyrā personatur».<sup>2</sup> Sed libri illi perierunt.

Etiam orationes, si unam excipias, omnes perierunt; quas duodeviginti et in tribunali et in Senatu habitas, deinde emendatas, auctas, ornatas, ipse edidit. Unus exstat PANEGYRICUS ille TRAIANI, ex quo Plini artem dicendi cognoscere licet. Quodsi Ciceronem imitari conatus est, ab eius tamen praestantia longe abest, ideoque ostendit et ipse Quintilianum id quod quaesiverit, ut eloquentiam ad Ciceronis splendorem reduceret, adsecutum non esse. Ceterum plures in hac oratione sunt loci et verborum luminibus distincti et mira quadam sententiarum felicitate insignes. Neque id, quod multi reprehenderunt, eam nimis adulationibus redundare, omnino veritati respondet. Neque enim semper magnas laudes continuo adulationes dixeris, praesertim cum is Princeps laudetur, qui optimus iure appellatus sit, quique post taeterrimum illud temporis spatium, quo Domitianus imperium obtinuit, beatissimum, ut Taciti verbo utar, saeculum aperuerit atque sapientis Principis fortissimique ducis virtutibus floruerit. Illud fateor, multas Plini laudes, orationis nimia quadam luxuria atque ornatu, adulationes videri posse. Sed eiusmodi adulationes apud Vergilium, apud Horatium quoque facile invenias; neque adulationes vere dici possunt, quae non sint simulatione et mendaciis conflatae. Adde quod Plinius tum illam orationem habuit, cum, consul a

1. Plinius hanc fortasse alicuius Graeci adulationem tamquam veram laudem nobis videtur referre: Graeci enim, si Iuvenali fidem praebeas (Sat. III, 86 et seq.), «adulandi gens prudentissima.»

2. Epist. VII, 4.

Traiano creatus, fieri non poterat quin suam illam ingentem Principis admirationem grato, ut ita dicam, animo incenderet. Hoc memineris oportet, cum locos leges huic similes, quo primum Traiani ingressum in Urbem memorat:

« Ac primum qui dies ille, quo expectatus desideratusque Urbem tuam ingressus es! Iam hoc ipsum quod ingressus<sup>1</sup> es, quam mirum laetumque! Nam priores invchi et importari solebant, non dico quadriiugo curru et albentibus equis, sed humeris hominum, quod arrogantius erat. Tu, sola corporis proceritate elatior aliis et excelsior, non de patientia nostra quemdam triumphum, sed de superbia Principum egisti. Ergo non aetas quemquam, non valetudo, non sexus retardavit, quo minus oculos insolito spectaculo impleret. Te parvuli noscere, ostentare iuvenes, mirari senes: aegri quoque, neglecto medentium imperio, ad conspectum tui, quasi ad salutem sanitatemque, proropere. Inde alii se satis vixisse, te viso, te recepto, alii nunc magis esse vivendum praedicabant. Feminas etiam tunc foecunditatis stae maxima voluptas subiit, cum cernerent cui Principi cives, cui imperatori milites peperissent... ». (Panegy. XXI).

Eadem venia et aliis locis detur et magnis illis laudibus, quibus etiam uxorem Principis et sororem celebravit. (Paneg. LXXIII et LXXIV) « Tibi uxor — inquit — in decus et gloriam cedit. Quid enim illa sanctius, quid antiquius? Nonne, si pontifici maximo deligenda sit coniunx, aut hanc aut similem (ubi est autem similis?) elegerit?... Quam modica cultu! quam parca comitatu! Quam civilis incessu! Mariti hoc opus, qui ita imbuit, ita instituit; nam uxori sufficit obsequii gloria... Soror autem tua ut se sororem esse meminit! Ut in illa tua simplicitas, tua veritas, tuus candor agnoscitur! Ut, si quis eam uxori tuae conferat, dubitare cogatur utrum sit efficacius ad recte vivendum, bene institui an feliciter nasci... Obtulerat illis Senatus cognomen Augustarum, quod certatim depreca-

1. Animadvertite: « Ingressus es », pedes, non « invectus », vehiculo aliquo.

tae sunt quamdiu appellationem *patris patriae* tu recusasses; seu quod plus esse in eo iudicabant, si uxor et soror tua, quam si Augustae dicerentur. Sed quacumque illis ratio tantam modestiam suasit, hoc magis dignae sunt, quae in animis nostris et sint et habeantur Augustae, quia non vocantur... ».

Quamquam vero haec oratio pluris habenda est quam a quibusdam et habita est et habetur, tamen Plinius praesertim suis illis EPISTULARUM libris decem maximam famam est consecutus. Quorum novem prioribus ducentae quadraginta septem epistolae continentur, ad familiares missae; decimus et Plini litteras, quas ille ad Traianum a Bithynia de publicis negotiis scripsit, et Traiani responsa continet, ita inter se conexas, ut et Plini in agendo ac deliberando ad dubitationem et haesitationem proclivitas et Traiani vis atque constantia una cum imperatoria illa brevitate satis appareat. In quo litterarum, ut ita dicam, commercio, illa praesertim epistula (X, 96) digna est mentione, qua Plinius Traianum consuluit quid de Christianis ad se, quamvis innocentibus, delatis statuendum esset. Quin etiam tantum est harum litterarum pondus, ut facere non possim quin eas vel aliqua ex parte proferam.

#### « C. Plinius Traiano Imperatori.

Sollemne est mihi, domine, omnia de quibus dubito ad te referre. Quis enim potest melius vel cunctationem meam regere vel ignorantiam instruere? Cognitionibus de Christianis interfui numquam: ideo nescio quid et quatenus aut puniri soleat aut quaeri. Nec mediocriter haesitavi sitne aliquod discrimen aetatum an quamlibet teneri nihil a robustioribus differant; detur paenitentiae venia an ei, qui omnino Christianus fuit, desisse non prosit; nomen ipsum, si flagitiis careat, an flagitia cohaerentia nomini puniantur. Interim in iis, qui ad me tamquam Christiani deferebantur, hunc sum secutus modum. Interrogavi ipsos an essent Christiani. Confitentes iterum ac tertio interrogavi, supplicium minatus; perseverantes duci iussi. Neque enim dubitabam, qualecumque esset quod faterentur, pertinaciam certe et inflexibilem obstinatio-

nem debere puniri.<sup>1</sup> Fuerunt alii similis amentiae, quos, quia cives Romani erant, adnotavi in Urbem remittendos ».

Multa deinde addit: alios negavisse se Christianos esse, alios desisse, alios in sua fide perstitisse, neque tamen ullius culpaе conscios esse. « Nihil aliud — inquit — inveni, quam superstitionem pravam immodicam ». Utinam vero rem ille penitus indagavisset neque in incredula illa quamvis eleganti atque urbana scepticorum ratione acquievisset! « Ideo — pergit — dilata cognitione, ad consulendum te decucurri. Visa est enim mihi res digna consultatione maxime propter periclitantium numerum. Multi enim omnis aetatis, omnis ordinis, utriusque sexus etiam, vocantur in periculum et vocabuntur. Neque civitates tantum, sed vicos etiam atque agros superstitionis istius contagio pervagata est; quae videtur sisti et corrigi posse ».

Vide humana iudicia quam facile errent. Ad haec Traianus imperatoria brevitate ita respondit:

« Actum quem debuisti, mi Secunde, in excutiendis causis eorum, qui Christiani ad te delati fuerant, secutus es. Neque enim in universum aliquid, quod quasi certam formam habeat, constitui potest. Conquirendi non sunt; si deferantur et arguantur, puniendi sunt:<sup>2</sup> ita tamen, ut qui negaverit se Christianum esse idque re ipsa manifestum fecerit, id est supplicando diis nostris, quamvis suspectus in praeteritum, veniam in paenitentia impetret. Sine auctore vero propositi libelli in nullo crimine locum habere debent. Nam et pessimi exempli nec nostri saeculi est ».

In quo, si non vera iustitia, at clementia quaedam et dignitas adest. Ut vero ad reliquos Plini epistularum

1. Scilicet Plinius haud sane libertatis et animi constantiae amatorem se praebet, neque Stoicorum doctrina dignum, neque nobilium illorum Horati versuum memorem: « Iustum et tenacem propositi virum — non civium ardor prava iubentium — non vultus instantis tyranni — mente quatit solida neque Auster... Si fractus inlabatur orbis — impavidum ferient ruinae ». (Carm. III, 3) Neque vero iustum videri potest cum puniri, qui in virtute pertinacem se praebet.

2. Hoc tamquam absurdum postea Tertullianus in APOLOGETICO iure reprehendit: nam Christianos aut noxios aut innoxios esse: si innoxii, non esse puniendos, ne delatos quidem: si noxii, etiam conquirendos esse, ut fures, ut homicidas, ut ceterorum scelerum reos.

libros veniamus, hi ipsius animum, mores, studia, gloriae et laudis appetentiam, humanitatem, comitatem, elegantiam, liberalitatem, opes, satis ostendunt. Neque ullum est dubium quin suas ille epistulas ita scripserit, ut sentiret eas se postea editurum esse. In quo aliter profecto ac Cicero se gessit. Quodsi cum Cicerone Plini epistulas comparaveris, videas sane quantum intersit. Cicero enim res maximi momenti, civiles discordias, gravissima principum certamina et arma, magna rei publicae pericula, vehementissima partium studia et odia, iniurias et questus, ingentem rerum materiam, quarum ipse magna pars fuit, in epistulis explicat, narrat, significat, laudat, vituperat, ita tamen, ut putare videatur eos tantum suas epistulas lecturos, ad quos miserit; quodsi putavisset fore ut in vulgus ederentur, multa profecto omisisset, emendavisset, aliter dixisset. Plinius haud magna facta, sed publicas recitationes, amicorum laudes, litterati hominis disceptationes, villarum descriptiones, civilia atque urbana officia, elegantissimorum hominum curas ac studia, res denique non magni momenti saepius tradit; raro altius assurgit. Tamen ex eius epistulis, illius aetatis mores et Urbis vitam, tamquam miris quibusdam tabellis descriptam, videmus. Ceterum suas ipse epistulas cum Cicerone quodammodo comparavit. Nam cum ad Sabinum quendam scribens se excusaret, quod raro neque longas epistulas mitteret, haec addidit: « Praeterea nec materia plura scribendi dabatur. Neque enim eadem nostra condicio, quae M. Tulli, ad cuius exemplum nos vocas. Illi enim copiosissimum ingenium, et ingenio qua varietas rerum, qua magnitudo largissime suppetebat. Nos quam angustis terminis claudamur, etiam tacente me, perspicias, nisi forte volumus scholasticas tibi atque, ut ita dicam, umbraticas litteras mittere ». (Epist. IX, 2).

Illud quoque ipse fatetur, se suas epistulas collegisse et publicavisse. Nam ad Septicium suum scribens, « Frequenter — inquit — hortatus es, ut epistulas, si quas paulo curatius scripsissem, colligerem publicaremque. Collegi, non servato temporis ordine (neque enim historiam componebam), sed ut quaeque in manus venerat... ». (I, 1).

Eius autem epistulae aliae sunt longae, ut descriptio-

ille ad filios ita scripsit, ut multa non modo ab *actis*, quae appellant, sed etiam a pluribus rerum scriptoribus, oratoribus, poetis hausisse videatur.

M. VALERIUS PROBUS, Beryti, in Syria, anno ferme LXXV natus, postquam a militia se removit, veterum scriptorum ac poetarum in studia incubuit. Quamquam vero maximam suae vitae atque industriae partem ad instituendos discipulos contulit, tamen nonnulla edidit et Lucreti, Vergili, Horati opera Alexandrinorum, quos appellant, grammaticorum more emendavit. Eidem plura scripta sunt attributa, quae ii qui intellegunt dubitant an alii scripserint.<sup>1</sup>

Ceteros huius aetatis scriptores, utpote qui haud magni momenti sint, mihi praetermittere videtur.

---

1. Ut Vergili Bucolicon et Georgicon Commentarii, qui iam nemini fere videntur Probo tribui posse.



## DE QUINTA EADEMQUE POSTREMA LATINARUM LITTERARUM AETATE

Haec aetas, cum a Traiani morte (a. CXVII) usque ad annum ODLXXVI pateat, quo Odoacer Romulum Augustulum summo imperio removit, plus quam trecentos quinquaginta amplectitur annos. Hoc tam longum tamque varium temporis spatium fuerunt qui corruptum ac depravatum dicere non dubitarent; nunc vero iis qui intellegunt videtur id totum uno fere verbo damnari non posse. Sive enim imperi administrationem singulosque Imperatores respicis, sive rerum atque opinionum progressum consideras, sive litterarum genus praecipuosque scriptores atque poetas examinas, non unum vides de omnibus iudicium esse faciendum. Nam quod ad rem publicam pertinet, cum Hadrianus (CXVII-CXXXVIII) tum Antoninus Pius (CXXXVIII-CLXI) et pacem foverunt et imperi fines muniverunt et iustitiam coluerunt; neque minus Marcus Aurelius (CLXI-CLXXX), bonus Princeps idemque insignis Stoicorum cultor, pacem amavit, sed, cum Parthi armis iterum sumptis Armeniam occupavissent et Syriam, Romanam provinciam, invasissent, facere non potuit quin bellum gereret; ac Parthos quidem per Lucium Verum, quem participem principatus fecerat, devictos repulit: sed non multo post, cum alterum bellum adversus Quados et Marcomannos, qui in Pannoniam et Noricum irruperant, haud adverso Marte gessisset, eosque iam in suas sedes repulisset, dum agit cum victis de pace, Vindobonae, morbo correptus vita decessit.

Huic cum Commodus successisset, (CLXXX-CXCII) Romanorum res publica visa est ad interitum properare; multa enim ille absurde, insipienter, crudeliter egit, donec interfectus est. Tum vero multae et magnae in provinciis apud milites ortae sunt seditiones, quae ad extremam perniciem imperium profecto impulissent, nisi Septimius

Severus, devictis aemulis, rerum potitus esset (CXCI-CCXI): qui ita rem publicam constituit, ut, cum exercitui primas tulisset, ipse armis militumque fide ac modestianiteretur. Neque tamen pacis artes ille omisit, quin etiam praecclarissimum iuris peritum, Papinianum, ad se vocavit ac fovit, qui iuris scientiae mirum quoddam incrementum attulit atque militare illud Principis supercilium civili legum moderatione temperavit. Post hunc Caracalla (CCXI-CCXVII), eiusdem filius, suscepit imperium; qui multa insane, crudeliter, turpiter fecit, donec a militibus est interfectus. Ille tamen edictum illud memorabile proposuit, quo omnes universi imperi incolas iure civitatis donavit ob eamque rem gentes, iam Romanorum armis domitas, omnes unius, ut ita dicam, rei publicae participes effecit atque in unum tamquam corpus redegit, ingens quidem ac fere immensum. Alii deinde successerunt vel stulti vel saevi vel inepti vel denique impotentes Principes fere omnes, si unum vel duos excipias, ut Severum Alexandrum (CCXXII-CCXXXVI), ut Aurelianum (CCLXX-CCLXXV), qui solidis moenibus Urbem munivit, quo facilius subitos barbarorum impetus arceret. At anno CCLXXXIV Romanarum rerum potitus est Diocletianus, qui tumultus quidem, perturbationes seditionesque, late toto fere orbe coortas, armis et calliditate sedavit idemque imperi Romani immensam fere molem cum unus vix sustinere posset, in duas partes divisit, quibus duos Augustos praefecit atque, his subiectos, duos Caesares, itaque tetrarchiam, id est quattuor principum administrationem, primus instituit. Sed hanc imperi regendi prudentiam immani quadam honoris cupidine atque vana superbia foedavit. Nam, ut Eutropi verbis utar, « imperio Romano primus regiae consuetudinis formam magis quam Romanae libertatis » invexit, « adorarique se » iussit « cum ante eum cuncti salutarentur ». Quod cum Christiani ferre non possent, cumque Maximianus Herculeus, quocum ille Augusto creato imperium diviserat, vir esset « propalam ferus et incivilis ingenii, asperitatem suam etiam vultus horrore significans », et Galerius Caesar Christianos impensius odisset, Diocletianumque ad maiorem saevitiam impulisset, Christianorum insectatio illa omnium saevissima ab anno

CCCIII usque ad annum CCCXIII latissime erupit, totumque fere terrarum orbem Martyrum sanguine inundavit. Tum vero « quae per totum orbem — inquit Lactantius (Div. Inst. V, 11, 9 et seqq.) — singuli gesserint, enarrare impossibile est. Quis enim voluminum numerus capiet tam infinita, tam varia genera crudelitatis? Accepta enim potestate, pro suis moribus quisque saevivit. Alii prae nimia timiditate plus ausi sunt quam iubebantur, alii suo proprio adversus iustos odio, quidam naturali mentis feritate, nonnulli ut placerent et hoc officio viam sibi ad altiora munirent; aliqui ad occidendum praecipites extiterunt, sicut unus in Phrygia, qui universum populum cum ipso pariter conventiculo<sup>1</sup> concremavit. Sed hic quanto saevior — idem dicere pergit — tanto clementior invenitur: illud vero pessimum genus est, cui clementiae species falsa blanditur; ille gravior, ille saevior est carnifex, qui neminem statuit occidere. Itaque dici non potest huiusmodi iudices quanta et quam gravia tormentorum genera excogitaverint, ut ad effectum propositi sui pervenirent... Vidi ego in Bithynia praesidem gaudio mirabiliter elatum, tamquam barbarorum gentem aliquam subegisset, quod unus, qui per biennium magna virtute restiterat, postremo cedere visus esset. Contendunt igitur ut vincant, et exquisitos dolores corporibus immittunt, et nihil aliud devitant quam ut ne torti moriantur... Illi autem pertinaci stultitia iubent curam tortis diligenter adhiberi, ut ad alios cruciatus membra renoveantur et reparetur novus sanguis ad poenam ».

Haec tam fera insectatio, postquam Diocletianus ab imperio se ipse removit et Salonam in sumptuosissimam villam secessit, ut otio aliquo frueretur (a. CCCV), tamen usque ad annum CCCXIII saevivit. Interea cum etiam Maximianus iussus esset a suprema potestate se abdicare, et duo illi primi Caesares iam Augusti facti essent, et Constantius Clorus, qui in Maximiani locum successerat, anno CCCVI repente perisset, inter Constantinum, Constanti Clori filium, quem statim sui milites Caesarem acclamave-

1. I. e. locus quo convenire solebant.

rant, et Maxentium, Maximiani filium, et ipsum a suis Caesarem consalutatum, magna primum aemulatio atque contentio, deinde bellum civile ortum est. Quod quomodo conclusum s'it, quamtamque victoriam ad Milvium pontem Constantinus sit adeptus, nemo fere ignorat. Et Maxentius, in fugam conversus, in Tiberis aqua demersus mortem invenit: at Constantinus, paucis mensibus post, Mediolani una cum Licinio Augusto, quem secum in bello socium coniunxerat, edictum illud (a. CCCXIII) proposuit, quo et saevas illas Diocletiani leges abrogavit et libertatem Christianis concessit. Postquam vero, Maximino iam demortuo, Licinio oppresso, unus Augustus ac totius Romanorum imperi moderator evasit, Christianis magis ille quidem favit; id quod ad Christianorum litteras fovendas et propagandas nonnihil valuit. Idem Constantinopolim, quo sedem ac caput imperi transtulerat « ad tantum fastigium evehere molitus est, ut Romae aemulam faceret ». (Eutrop. X, 8). Quam multa tamen et egregia ille fecerit, non est hic locus disserendi. Cum autem anno CCCXXVII obisset, imperium tres eius liberi atque unus fratris filius exceperunt, ex quibus unus, Constantius II, non sine fraternis discordiis et caedibus eodem anno rerum potitus, haereticis Arii sectatoribus favit, cognatosque suos, praeter Iulianum, patrum filium, quem legionibus in Gallia praefecit, variis suspicionibus anxius, omnes deinceps interfecit. At legiones in Gallia, cum Constantium odissent, Iulianum acclamaverunt Augustum illique opposuerunt. Quod nisi Constantius (a. CCCLXI) in itinere morte correptus esset, aliud bellum civile exarsisset.

Tum Iulianus, cum totum Romanum imperium regendum suscepisset, a Christi religione, quam a pueritia occulte oderat, cum defecisset, Christianorum « nimius insectator », ut Eutropius ipse fatetur, factus est et deorum cultum restituere omnibus viribus frustra contendit. Neque multo post, cum Parthis ingenti apparatu bellum intulisset et « aliquot oppida et castella Persarum in dedicationem » accepisset vel vi expugnasset Assyriamque populatus esset, « remeans victor, dum se inconsultius procliis inserit » — fuit enim « gloriae avidus ac per eam animi plerumque immodici » — « hostili manu interfectus est

VI Kal. Iul., imperi anno septimo, aetatis altero et tricesimo ».<sup>1</sup>

Tum vero Christi religio, magnam ut ita dicam de Gentilibus victoriam adeptam, multorum hominum animos sibi conciliavit; sed paulo post haereses, quarum nonnullae iam diu et in Orientis et in Occidentis solis partibus ortae erant, ab aucta multitudine, a libertate, ab ipsa Christianorum victoria novum, ut ita dicam, alimentum sumpserunt. Quas ut coercerent, atque everterent, egregii quidam viri, irgenti et animo et ingenio praediti ac divina virtute Deique amore incensi, omnibus viribus contenderunt. Hos optimi Principes aliquamdiu iuverunt, ut Gratianus (CCCLXXV - CCCLXXIII), ut Theodosius (CCCLXXIX-CCCXCV) praesertim.

Interea plures barbarae gentes vel imperi finibus instabant vel fines ipsos transgressae Romanam rem magis magisque perturbabant, labefactabant, in extremam perniciem adducebant. Cum autem Theodosius imperium Romanum, quod ipse totum solus rexerat, rursus inter duos filios ita divisisset, ut Orientis solis partes Arcadio, Occidentis Honorio relinqueret, in Occidentem prius barbari diffluxerunt, multasque regiones ferro ignique vastaverunt. Tum Alaricus, Visigotorum rex, Aquileia impetu capta, in Galliam Cisalpinam irrupit. Ac primo a Stilichone, Honorii fortissimo duce, armis victus est et repulsus, deinde, Stilichone insidiis atque odiis a suis oppresso, in Italiam rediit et Romam ipsam armis petivit. Unde cum Urbis incolae opulentissimis donis ac precibus effecissent ut recederet, paulo post improbus ille regressus Romam obsidione cinxit, cepit, vastavit. (a. CDX).

Longum est ingentes illas calamitates vel paucis recensere. Sed Attilae Hunnorumque irruptionem, feritatem, horrorem, qui praetermittere possum? Ferus ille rex, tamquam immane immensumque incendium, totam fere Italiam peragravit atque vastavit (a. CDLII).

Huic tamen Leo pontifex maximus, Dei auxilio fisus, morum sanctitate praeditus, vultus atque habitus mira

1. Ofr. Eutrop. X, 16 passim. Eutropius autem se huc in Parthos expeditioni interfuisse tradit. Iulianus obiit anno CCCLXIII.

quadam dignitate ac gravitate ornatus, ita occurrit, poenas a Deo ita minatur, precibus ita suadet, ut ille ab incepto destiterit et in patriam suam ad Histri regiones redire constituerit. Neque multo post Vandali ab Africa Italiae litoribus impendēre, oppida vastare, caedes iterum atque iterum edere coeperunt, donec Gensericus, eorum rex, valida manu Romam aggressus quindecim per dies omnia incendiis ac caedibus miscuit. Tum Vandali, praeda onusti, Romae Romanorumque spolia Carthaginem retulerunt.

Itaque in Occidentis solis partibus Romanum imperium omnes fere provincias amiserat. Anno autem CDLXXIII, cum Orestes, nobilis vir, ab imperatore Iulio Nepote defecisset et exercitum, qui fere totus ex Herulis aliisque barbaris constabat, ad defectionem traxisset, persuasit quidem barbaris, ut filium adolescentulum, Romulum Augustulum, imperatorem acclamarent, sed paulo post, cum illi donativum exigerent et Italiae agros sibi tribuendos defenderent, Orestes hoc fieri posse negavit. Tum vero barbari illi Orestem necaverunt, Odoacrem *regem* creaverunt. Romulus Augustulus, postremus Imperator, sine imperio, vita a barbaris impetrata, in Campaniam secessit, ubi abditus latuit. Hic fuit in Occidentis solis partibus Romani imperi finis.

Sed, ut ad litteras redeamus, eos primum vel scriptores vel poetas paucis recensebimus, qui inter Hadriani et Diocletiani aetatem, ab anno CXVII ad a. CCCV floruerunt. Atque in primis, ut minores praetermittamus, Apuleium invenimus.

### Apuleius.

Hic Madaurae, in Africa, anno fere CXXV natus,<sup>1</sup> postquam Carthagine arti dicendi operam dedit, Athenas se contulit, ut philosophiae vacaret ibique et Platonis doctrinam ipsumque Platonem vehementi animi ardore excoluit et omnes fere disciplinas discere contendit.

Idem multa suscepit itinera; deinde Romae aliquandiu moratus, Carthaginem rediit. Satis constat eum non in

1. Eius praenomen num Lucius fuerit parum constat.

una urbe recitavisse, itaque magnam sibi famam comparavisse. Cum autem in itinere, quod Carthagine Alexandriam fecit, divitem quamdam, sed maiorem natu viduam, Pudentillam, Oeae, in Libyae oppido, cognovisset, hanc uxorem duxit. Sed non multo post Pudentillae necessarii, in primis Pontianus, eius filius, qui tamen, ut videtur, Apuleium iam hortatus erat, ut matrem matrimonio sibi coniungeret, a Pudentillae socero impulsus, Apuleium accusaverunt, quod divitem viduam magiae artibus coegisset ut sibi nuberet. Hoc crimen ille diserta et copiosa oratione diluit, qua etiam maiorem in famam venit. Itaque quam diu vixit, Carthagine miram illam suam ac vere disertissimam dicendi artem apud frequentissimam coronam saepe ita ostentavit, ut audientium animos admiratione afficeret et magnos plausus, magnas acclamations excitaret, praesertim cum utrumque sermonem, et Latinum et Graecum, pari doctrina et facilitate adhiberet. Quo anno mortuus sit, parum constat, sed annum CLXXX haud scio an vix excesserit.

Duo ille opera maioris momenti scripsit: APOLOGIAM vel DE MAGIA librum et METAMORPHOSEON libros XI. Sunt tamen alia mentione digna, quae adhuc exstant: DE PLATONE EIUSQUE DOGMATE libri duo et DE DEO SOCRATIS liber et DE MUNDO, quibus ille Platonis et aliqua ex parte Aristotelis praecepta atque opiniones cum recentioribus philosophorum et religionum sive praeceptis et opinionibus sive arcanis et caerimoniis conciliare studet. Huc accedunt FLORIDA, in quattuor libros divisa, quibus tres et viginti loci continentur ex Apulei orationibus a nescioquo excerpti, tamquam florilegium. Satis autem constat quattuor Apuleium orationum libros edidisse, qui perierunt. Ex iis tamen quae FLORIDIS continentur, apparet eum de rebus publicis et de religionibus et de moribus et de philosophia ita egisse ut hominis doctissimi facundissimique oratoris laudem mereret.

Etiam versus ille composuit, quin etiam ex versibus constiterunt illa LUDICRA quae ipse in Apologia memorat. Cetera omitto, ut libros quosdam DE NATURALIBUS QUESTIONIBUS, Graece, aliosque Latine scriptos. At illa duo, quae prima dixi, opera digna sunt quae paulo amplius explicentur.

APOLOGIA igitur, vel potius, ut scriptum legimus in codicibus, PRO SE DE MAGIA LIBER, illam orationem continet, quam Apuleius Oeae in tribunali apud Claudium Maximum proconsulem anno ferme CLVI habuit, ut crimen dilueret magiae, quo crimine qui argueretur non solum ignominia, sed etiam morte fieri poterat ut multaretur. Hanc vero orationem non ita ille dixit, ut ad nos pervenit; multa enim indicia sunt quibus intellegas plures locos amplius retractatos esse, alios adiectos antequam ederet. Ceterum magnam haec Apologia legenti delectationem praebet, cum omnia ille elegantissimis iisdemque copiosissimis verbis exponat, omnia subtili quodam artificio exornet, omnia fere suavissimo lepore atque urbanissimo risu condiat, accusatoresque ita redarguat, ut eos derisione aspergat crimenque iocis dissolvat.

Maximum tamen Apulei opus METAMORPHOSEON libros dixerim, seu quod magis varia iis et copiosa materia continetur, seu quod ipsius scriptoris ingenium et mores planius apparent. Adde quod novum quodammodo litterarum genus, si tamen Petroni Satyricon libros excipias, hoc opere apud Latinos institutum est, quod a Latinis nostrae aetatis scriptoribus « Romanica fabula » appellari solet, Italico autem sermone « Romanzo ». Apuleius vero non Romanicam, sed Graecanicam fabulam eam in prooemio idcirco appellat, quod eiusmodi narrationis genus in regionibus ad Orientem solem pertinentibus per Graecos scriptores fere in consuetudinem venerat. Ceterum Apulei narratio illinc initium capit, unde opus illud quod Λούκιος ἡ Ὀνός inscribitur, quodque Luciano Samosatensi antiquitus tributum est. Neque tamen dixeris Apuleium a Luciano materiam sui operis hausisse; nam vero propius est et Apuleium et Lucianum, si non omnia, at narrationis initium atque occasionem ab uno eodemque Graeco opere<sup>1</sup> tamquam a fonte sumpsisse. Illud autem est animadvertendum, Apulei Metamorphoscon libris multo plures casus magisque varios quam Luciani opere multasque fabulas contineri, quae ad Luci casum minus pertineant. In quo peculiare illae Apulei ingeni notae clarius nitent.

1. Fortasse Luci cuiusdam Patrensis. Cum autem hoc opus totum perierit, nihil de hac re compertum habemus.



Sed ut praecipuas res narrationis tradam, Apuleius Lucium quemdam de se ipsum narrantem inducit, quid sibi evenerit. Ac primum eum accipimus, cum per Thesaliam, magorum magarumque, ut ita dicam, fere propriam sedem atque patriam, iter faceret, in urbe Hypäta, apud quosdam suae familiae amicos aliquamdiu mansisse ibique multas de magorum arte studiose audivisse. Cum autem accepisset hospitis uxorem et magiae peritissimam esse et, quibusdam unguentis oblitam, in quamlibet formam immutari solere, etiam illum, cuiusdam ancillae auxilio nixum, in avem mutari voluisse, sed unguenti errore in asinum mutatum esse.

« Iamque — sic enim ille narrat — alternis conatibus libratis brachiis in avem similem gestiebam; nec ullae plus plumulae nec usquam pinnulae, sed plane pili uni crassantur in setas, et cutis tenella duratur in corium, et in extimis palmulis, perduto numero, toti digiti coguntur in singulas ungulas, et de spinae meae termino grandis cauda procedit. Iam facies enormis et os prolixum et nares hiantes et labiae pendulae; sic et aures immodicis horripilant auctibus ». En habes eius in describendo curiosae ac fortasse nimiae diligentiae breve specimen. Quam varii deinde, quam multi casus ei acciderint longum est vel paucis recensere, praesertim cum aliae multae inserantur fabulae, quae ad Lucium minus pertineant; has tamen subtili quodam artificio ille ita inter se coniungit vel coniungere conatur, ut totum opus, si non re, at specie ad unitatem quamdam vel potius ad unitatis similitudinem perveniat. Itaque in extremo libro X Lucius narrat se, cum Cenchras, qui portus est in Saronico sinu, post tot tamque varios casus pervenisset, « electo secreto litore » cum « ultimam diei metam curriculum solis » deflexisset, dulci somno oppressum esse. Hinc liber XI incipit, qui longe alius videtur esse a prioribus. Neque enim levem illam narrationem, iocis, salibus, lepore aspersam, hic invenias; sed novam quamdam rerum verborumque gravitatem, sed sacra arcana, sed religiosum quemdam spiritum toto fere libro sentias. Hic Lucius, e somno illo experrectus, quem supra diximus, cum Lunam oravisset, ut mori saltem liceret, si non liceret vivere, iterum — ut ipse narrat — obdormivit.

Tum vero in somnis Isidom, pulcherrimam deam, vidit, quae multa cum docuit. Haec praecepta secutus, postridie ille, dum pontifex sacra Isidi operatur, ex eius manu rosarum coronam arreptam cum devoravisset, statim — id quod iam illa Thessalici hospitis ancilla ei praedixerat fore — in hominis formam rediit, ita tamen, ut, caerimoniis et precibus purgatus, vitam honestam inciperet. Quin etiam Isidis sacerdos creatus est, deinde cum Romam venisset, in Osiridis sacerdotum collegium est cooptatus. Hunc narratio finem capit.

Sed ex multis fabulis, quae hoc opere continentur, facere non possum quin aliquid de illa referam, quae est de Amore et Psyche, quippe quae magni momenti sit et apud omnes fere, qui quidem humanitatis non sint expertes, maxime innotuerit. Narrat igitur in quadam civitate regem et reginam fuisse; qui, cum tres filias haberent, omnium pulcherrimam, Psychen, tantam hominum admirationem movisse, ut tamquam altera Venus coleretur. Itaque Phoebus, Veneris instinctu, iubet eam in deserta rupe exponi, ut monstro cuidam nubat, qui cum omnia animantia, tum deos ipsos exerceat. Illinc Psyche in magicas quasdam aedes aura defertur, ubi arcanae quaedam voces, « corporis sui nudae », ei mirum in modum serviunt, cibos, balneum, lectum diligentissime parant. Nocte demum en Sponsus ille occultus venit, occultus ante lucem abit, antequam a puella oculis cernatur. Quin etiam vetat ne se videre conetur; quod nisi pareat, magna illi mala minatur.

At puella, improbis sororum adhortationibus victa, — nam illi sorores invidebant — ac simul metu anxia, ne monstro nupsisset, marito non paruit eumque vidit, non monstrum sed pulcherrimum deum, Cupidinem, esse, « ipsum illum Cupidinem, formosum deum, formoso cubantem ». Qui mox experrectus « exiit, visaque detectae fidei coluvie, prorsus ex oculis et manibus infelicissimae coniugis tacitus avolavit ». Hunc illa frustra quaerit, Cererem Iunonemque frustra orat et rogat; cum autem ad Venerem confugerit, tamquam serva detinetur, magnosque atque intolerandos labores iussa subit, arcano quodam auxilio usa. Tandem, cum Iuppiter Veneris iram sedavisset, Psyche,

in concilium deorum adscita, « legitimas nuptias et iuri civili congruas » cum Cupidine iniit. Illis postea filia nata est « quam Voluptatem nominamus ».

Haec fere est fabula. Qua quamvis appareat continuam aliquam translationem contineri, tamen quid vere significetur parum compertum habemus; ceterum ipsum nomen, Psyche, casusque quibus occurrit haec monere videntur, hominum animos, cum amorem quaerant, multis laboribus exerceri, multas, ut ita dicam, regiones periculorum ac dolorum plenas peragraré; postquam vero amorem illum consecuti sint eoque frui coeperint, sublimes se extollere atque ipsum caelum attingere.

Quamquam vero Apuleium hoc in opere aliquid arcani celare voluisse nemo fere est qui neget, tamen illud non est dissimulandum, eum scribendo homines non tam instituere quam delectare studuisse; quin etiam sua ipse in primis scribendi arte delectari videtur; tam exquisito iudicio, tanta animi intentione et cura, tanto ingeni acumine, tanta in eligendis verbis sagacitate utitur; quas virtutes profecto nulla ratione ostendere potuisset, nisi ad hunc scribendi laborem voluptate quadam impulsus esset. Quod cum ita sit, nemo miretur eum tam molli oratione usum esse, ut interdum ad molestiam descenderit, eiusque scribendi genus putidius esse videatur.

### M. Cornelius Fronto.

Longe alium M. Cornelius Fronto scriptorem se praebuit, quamquam et ipse maximam in deligendis verbis curam adhibuit. Qui Cirtae, in Numidia, anno ferme C natus, cum Romam venisset, magnam sibi oratoris famam et Antonini principis gratiam comparavit. Cuius filios, Marcum Aurelium et Lucium Verum, instituere iussus, tanta sibi benevolentia et amicitia adiunxit, ut, cum illi in patris locum successissent, non solum in Senatum eligeretur et consul crearetur, sed etiam plurimum ac diu apud eos, praesertim apud Marcum Aurelium gratia valeretur. Quodsi Marcus Aurelius non semper eius praecepta secutus est — cum enim esset aetate proventus, rhetoricae studiis philosophiam ille quidem anteposuit, id quod Fronto

doluit — tamen suam in eum benevolentiam numquam deposuit. Neque vero Fronto beatam vitam egit; quin etiam, cum corporis valetudine saepe laboravit, tum multis ac magnis animi doloribus affectus est; nam quinque filiis est orbatus. Ipse anno ferme CLXXV decessit.

Cuius ex operibus pauca extabant, donec Angelus Ma', doctissimus vir, anno ferme MDCCCXV plurimas EPISTULAS in palimpsesto quodam Bobiensi invenit, quorum septem libri ad Marcum Aurelium sunt, duo ad Lucium Verum, duo ad amicos. Hi tamen libri non omnes exstant integri.

Adde quod iis etiam aliorum hominum, ut M. Aureli, litterae continentur. Praeterea nonnullae sunt doctae dissertationes, et ipsae ad M. Aurelium scriptae.

Ex ceteris eiusdem operibus pauca exstant, ut brevis quaedam DE RHETORICA disputatio, ut PRINCIPIA HISTORIAE — quo opere laudatio continetur rerum a Lucio Vero in Orientis solis partibus gestarum —, ut ARION quo illa de Arione fabula narratur, ut DE FERIS ALSIENSIBUS, quaedam ad M. Aurelium adhortatio ut brevi otio in Alsiensi litore fruatur, ut parvae DE TESTAMENTIS TRANSMARINIS — forensis quaedam oratio fuit — reliquiae. Exstant etiam duae breves disputationes, vel potius duarum disputationum lineamenta, quibus ille, Graecorum more eiusdem aetatis, res laudat, quae difficile laudari possint, ut suam dicendi virtutem ostentet, LAUDES dico FUMI ET PULVERIS et LAUDES NEGLENGENTIAE.

Ex quibus omnibus illud manifesto apparet, Frontonem dicendi et scribendi artem ita coluisse, ut verbis plus quam rebus tribuisse videatur: quin etiam futiles plerumque sententias exquisitis verbis vestire ac celare ille quidem contendit. Verba autem non ab elegantissimis Ciceronis et Augusti aetatis scriptoribus sumenda censuit, sed ab antiquioribus, ab Ennio, a Plauto in primis, a Naevio, a Caecilio, ab Accio. Haec ille docuit, haec illa quidem aetate nonnulli sunt secuti antiquioris sermonis laudatores. Quod si ipsum per se laudari non potest, illud tamen effecit, ut sermo Latinus, qui iam pridem corrumpi coeperat, minus celeriter corrumperetur.

### Aulus Gellius.

Hunc scribendi morem etiam AULUS GELLIUS secutus est, ita tamen, ut modum servasse et meliore iudicio usum esse videatur; ille enim nimium illum verborum obsole-  
torum amorem sua quadam ingeni subtilitate temperavit. Qui anno, ut videtur, ferme CXXX diviti domo natus, cum Romae primum, deinde Athenis, litterarum studiis totum se dedidisset plurimaque scriptorum poetarumque opera lectitavisset, id opus scribere statuit, quo, quae legens adnotavisset vel memoriae mandavisset, ea omnia continerentur. Hoc opus, cum vespertinis nocturnisque horis in Attica scriptum sit, merito NOCTES ATTICAE inscribitur. Viginti complectitur libros, qui, praeter octavum, omnes exstant. Neque id est opus, quod unum esse dici possit; ex multis enim variisque locis, de rebus maxime variis, plerumque tamen ad bonas litteras pertinentibus, constat iisque incondite congestis; in quibus multae sunt sententiae, ex antiquis recentioribusque scriptoribus excerptae, quas nisi ille protulisset nos ignoraremus; multae sunt scriptorum poetarumque notitiae, quae aliter ad nos non pervenissent; multa praeterea paucis ille disputat, eo dicendi genere usus, quod bonum sanumque iudicium ostendat, quo a verbis nimis obsoletis abhorret et familiarem adhibet sermonem; nam ipse se dicit « incuriose et immediate ac prope etiam rustice » scribere.

### C. Suetonius Tranquillus.

Sed maioris sane momenti quam Cornelius Fronto et Aulus Gellius omnibus fere C. SÜETONIUS TRANQUILLUS videtur esse, qui, anno ferme LXXV natus — ubi vero natus sit parum constat, — Romae, Traiani aetate, causas egit atque Plini Minoris amicitia floruit, cuius auxilio etiam *ius trium puerorum* est adeptus. Deinde in Palatium ab Hadriano tamquam « epistularum magister » vel Principis proprius ac peculiaris scriba vocatus, postea a dignitate et loco remotus, quod adversus Sabinam, Principis uxorem, minus officiose se gessisset quam ut tam nobilem feminam

decret, <sup>1</sup> otio ita usus est, ut multa scriberet opera, docta quidem et laboriosa, in quae magnam illam suam multarum rerum scientiam atque cognitionem contulit. Itaque et Romanorum antiquitates — Varronis fortasse exemplum secutus — magno quodam opere illustravit, quod ROMA videtur inscriptum fuisse, et plurimas ac maxime varias rerum notitias in alterum opus congegit, quod PRATA inscripsit. Sed haec perierunt. At illius operis quod DE VIRIS ILLUSTRIBUS, id est de Romanis et poetis et oratoribus et rerum scriptoribus et philosophis et grammaticis, composuit, qui a prisca aetate usque ad ipsius tempora fuerunt, ipsius tamen aequalibus exceptis, aliquot vitae exstant, ex libro DE GRAMMATICIS ET RHETORIBUS, itemque paucorum poetarum vitae, ut Terenti, ut Horati, ut Lucani; adde vitas Plini Maioris et Passieni Crispi, haud nobilis rerum scriptoris. Hae omnes aridae et ieiunae plerumque brevissimae narrationes sunt, sine vita, sine calore, sine ullo animi motu adumbratae.<sup>2</sup>

Illud opus fere integrum ad nos pervenit, quo Suetonius magnam, non solum apud veteres Romanos, sed etiam nostra aetate famam est adeptus, DE VITA CAESARUM LIBRI, quibus duodecim Principum vitae continentur, Iuli Caesaris,<sup>3</sup> Octaviani Augusti, Tiberi, Caligulae, Claudii, Neronis, Galbae, Othonis, Vitelli, Vespasiani, Titi, Domitiani, quas ille Septicio Claro, praefecto praetorii, scripsit. Utrum vero libri duodecim sint an octo, ut primorum sex Principum vitae suo quaeque libro, septimo Galbae, Othonis, Vitelli, octavo Vespasiani, Titi, Domitiani contineantur, parum constat. Illud pro certo habemus, Suetonium huius operis materiam tum collegisse atque exquisivisse, cum in aedibus Hadriani epistularum magister esset; aliter enim tam multa cognoscere non potuit, nisi Principum tabulas, quae in Palatio adservabantur, libere adisset atque evolvisset. Vitas autem ita narravit, ut sub oculis fere exemplaria habuisse videatur, quae viri docti Alexandrini, cum excellentium virorum vitas scriberent, iam protulerant.

1. Cfr. Spartian. Hadrian. 12, 13.

2. Ex hoc Suetoni opere multa Hieronymus hausit, quae illis Eusebi Caesariensis Chronicon libris adiecit, quos Latine convertit.

3. Desiderantur primae huius vitae paginae.

Itaque eandem in omnibus vitis rationem ita sequitur, ut uniuscuiusque Principis genus atque ortum primo tradat, deinde quos ante sumptum imperium casus subiecit quaeque gesserit, tum quae sumpto imperio fecerit, et virtutes et vitia; mortem denique et funus et quae statim secuta sint. Neque vero temporis ordinem ille servat, sed res per similitudinem coniungit; nec singulas Principum vitas ita ad unitatem redigit, ut viventium imagines legentium oculis ac mentibus appareant. Quod ad veritatem pertinet, ille *Acta senatus* et *Acta diurna* plerumque volutavit, sed etiam populi rumores et maledicos libellos et alios scriptores, veri minus fortasse studiosos, nonnumquam, ut videtur, secutus est. Genus dicendi adhibet modo pressum et ieiunum, modo fere copiosum; verbis utitur modo doctis, modo rudibus ac parum urbanis; ita autem narrat, ut rebus quamvis atrocibus vel foedis vel saevis nihil moveri videatur; hac vero frigoris, ut ita dicam, et lentitudinis specie saepe efficitur, ut legentium animi magis calefiant ac moveantur. Itaque huius operis lectio haud arida est neque frigida.

Eadem fere aetate, qua Suetonius, FLORUS floruit, cuius ne nomen quidem certum est; nam dubitamus utrum Iulius fuerit an Lucius Annaeus. Illud quoque dubium est, an idem fuerit ac Florus ille rhetor idemque poeta, qui Traiani et Hadriani aetate vixit. Utcumque res se habet, sub Flori nomine ad nos BELLOBUM OMNIUM DCC ANNORUM LIBRI DUO pervenerunt, quibus breviter ille quidem ac raptim, sed non solum bella, verum etiam praecipua ordinum certamina ita narravit, ut Romanorum rem publicam laudaret. Quattuor ille Romani imperii aetates divisit, *infantiam* sub regibus, *adulescentiam*, [qua tota Italia in Romanorum potestatem venit, *iuventutem* usque ad Augustum, postremo *senectutem* ab Augusto ad Hadrianum: hanc vero senectutem sub Traiano principe lacertos movisse ille dicit et praeter spem omnium « quasi reddita iuventute revirescere » visam esse. Adde quod totum fere opus brevibus iisdemque acutis sententiis abundat; itaque haud sine delectatione legitur.

Praeter hos, quos supra diximus, scriptores, digni utique sunt qui nominentur summi quidam iuris periti, qui hac aetate floruerunt. Ex quibus SALVIUS IULIANUS, Hadriani iussu, antiquae rei publicae edicta praetoria collegit atque composuit, quod opus EDICTUM PERPETUUM inscriptum est; SEX. POMONIUS multa opera scripsit ad iura pertinentia; GAIUS quattuor illos INSTITUTIONUM libros edidit; AEMILIUS denique PAPINIANUS, quem supra Septimi Severi amicum et auctorem diximus, cum multa alia, tum RESPONSORUM XIX libros et QUAESTIONUM libros XXXVII composuit, maxima laude dignos.

Neque multo post alii floruerunt haud minus insignes, ut IULIUS PAULUS, sub Alexandro Severo principe praetorii praefectus, cuius ex SENTENTIIS AD FILIUM aliqua exstant excerpta; ut DOMITIUS ULPIANUS et PAULUS, anno CCXXII et ipsi praetorii simul praefecti; ut denique HERENNIUS MODESTINUS.

### De carminibus.

Hac quam supra diximus aetate tantum afuit ut poetica floreret, ut fere perisse videatur, si tamen pauca excipias. Nullus vere poeticus afflatus, nullus animi impetus. Illi enim, quos TERENTIUS MAURUS<sup>1</sup> «poetas novos» appellat, vix esse nomine poetae digni videntur, cum animo ac mente numquam altius assurgant, sed tantum eos versus componere laborent, qui falso quodam splendore niteant ac putido aliquo artificii genere, non exornentur, sed onerentur; nam versu *echoicos*,<sup>2</sup> quos appellant, et *rhopalicos* et *reciprocicos*, non arte sed falsa artis specie atque ostentatione componunt. Tum etiam *centones*, quos appellant, componere consueverunt.

1. Hunc *grammaticum* dixeris potius quam poetam. De re prosodica et metrica versibus scripsit.

2. *Echoici* fuerunt versus ita compositi, ut alter pentametri dimidius versus idem sonaret, quod prior superioris hexametri pars. *Rhopalici* ex verbis constant, quae ita inter se subsequuntur, ut, quo magis ad finem pergunt, una deinceps syllaba augeantur. *Reciprocici* ita constructi sunt, ut, si legeris a fine ad initium, eundem verborum ordinem invenias. *Centones* denique sunt opuscula ex alicuius poetae versibus vel hemistichis ita composita, ut longe aliae sententiae versibus contineantur.



Ex iis tamen, qui aliquam sibi famam comparaverint, dignus est qui nominetur M. AURELIUS OLYMPIUS NEMESIANUS, Carthaginiensis. Hic et quattuor ECLOGAS edidit, in quibus aliquid poeticae aurae sentias, et CYNEGETICA, poematum quoddam de venationibus, scripsit, ex quo CCCXXV versus exstant satis elegantes et venusti.

At magnis utique laudibus ab omnibus omnium aetatum hominibus id carmen celebratum est et adhuc iure celebratur, quod PERVIGILIUM VENERIS inscribitur. Hoc quis scripserit ignoramus. Neque satis constat quando scriptum sit, nisi quod huic ferme aetati ii qui intellegunt id attribuunt. XCIII versus septenarii trochaici sunt, miro quodam ac simplici artificio ita concinnati, ut interdum hic versus intercalaris iteretur:

Cras amet qui numquam amavit, quique amavit cras amet.

Totum carmen Veneris laudibus redundat, quin etiam tamquam epithalamium quoddam est, quo nuptiae, ut ita dicam, rerum naturae et Veris ita concinuntur, ut in his quamvis suavibus ac mollibus versibus aliquid Lucreti poetae, eius afflatus, eius vividi animi sensus, eius ingeni vis ac celeritas quodammodo inesse videatur. Genus vero dicendi ad quotidianum popularemque usum sermonis propius accedit, id quod maiorem quamdam simplicitatem ac veritatem affert. Sunt autem qui dubitent an hoc carmen idcirco compositum sit, ut proxima nocte ante festum quoddam Veneris a puellis caneretur.

Eiusdem ferme aetatis etiam elegia quaedam, et ipsa sine nomine scripta, DE ROSIS NASCENTIBUS, videtur esse, quae molles et suaves animi sensus ostendit et singulari quadam gratia nitet.

### De Christianis Scriptoribus.

Adhuc de praecipuis vel poetis vel scriptoribus egimus, qui et ante Constantinum principem fuerunt et a Christianorum doctrina ac vita abhorruerunt. Nunc ad primos Christianos scriptores veniamus, qui quidem magnam sibi famam comparaverint.

Qua ratione vero, quibus virtutibus, quanta animorum fortitudine Christiani magis in annos atque in dies numero et viribus aucti sint, non est hic locus recensendi, praesertim cum nemo fere ignoret quantum sanguinis effuderint, quam saepe quamque saevos cruciatus subierint, quantam animi constantiam et blanditiis et minis et fœdissimae Principum gubernatorumque saevitiae quam diu opposuerint.

Praeterea, quae magis ad religionem quam ad litteras pertinent, ea nunc mihi videtur omittere, ut ad eos pergam qui in litterarum historia insignem obtinent locum.

Atque in primis Q. SEPTIMIUM FLORENTEM TERTULLIANUM invenimus, qui Carthagine, centurione quodam proconsulari anno ferme CL natus, ac primum Romae, ut videtur, deinde Carthagine optime institutus, multum in philosophia, multum in iuris scientia profecit. Idem quadragessimum fere annum agens ad Christi religionem se convertit. Cum autem « acris et vehementis ingeni<sup>1</sup> esset », in Gentiles et in haereticos multis in operibus ita vehementer invectus est, ut modum excedere multis videretur, idemque ita se acutum ac subtilem in argumentando praebuit, ut multorum admirationem moveret. Neque tantum Latine, sed etiam quaedam Graece scripsit, quae perierunt. Ex iis, quae manent, — permulta sunt — eius animi vim atque impetum, mentis acumen et vigorem, ferroam illam, ut ita dicam, obstinationem ac fere pervicaciam colligas, quibus impulsus, Christianos primum et adversus Gentiles acriter defendit et ad virtutes monuit atque incendit; de-

1. Hieronym. De vir. illustr. LXIII.

inde haereticos refellit eosque Christi hereditate ac nomine excludendos docuit; postremo immodico illo virtutis et morum integritatis amore incensus, dum Christi consilia a praeceptis parum secernit omnibusque Christianis eam vitae rationem imponere studet, quam Christus paucis suasit, in haeresim sensim est delapsus, Montanum ita secutus, ut brevi eius insaniam quodammodo superaverit.

Eius maximum optimumque opus nemo dubitat quin APOLOGETICUS sit, quo — ut verbum ipsum docet, a Graeco sermone detortum — *defensio* continetur Christianorum. Hanc orationem ille fingit se apud Romanum magistratum habere. Neque solum Christianos defendit, sed etiam Gentilium mores ac deorum cultum vel acriter incusat ac deicit vel amarissimis salibus atque risu conspergit. Ac primum validissimis argumentis Romanos magistratus atque Principes convincit per iniuriam adversus Christianos se gerere, cum eos mortibus, poenis, cruciatibus persequantur. Illud Traiani rescriptum, quo Princeps ille Plinium docuerat Christianos conquirendos non esse; « si deferantur et arguantur », esse puniendos,<sup>1</sup> ita ille quidem refellit: « O sententiam necessitate confusam: negat inquirendos, ut innocentes; parcit et saevit, dissimulat et animadvertit ». (Apolog. II) Numquam descendit ad preces, sed Christianorum vitam eam esse demonstrat, ut non poenis, sed maximis laudibus digna sit. Magna illa turpitudinis et saevitiae crimina, ficta ac falsa esse coarguit. « Cena nostra — inquit — de nomine rationem suam ostendit: id vocatur, quod *dilectio* <sup>2</sup> penes Graecos. » Illic « non prius discumbitur, quam oratio ad Deum praegustetur; editur quantum esurientes capiunt: bibitur quantum pudicis utile est. Ita saturantur, ut qui meminerint etiam per noctem adorandum Deum sibi esse; ita fabulantur, ut qui sciant Dominum audire... Hoc sumus congregati, quod et dispersi; hoc universi, quod et singuli, neminem laedentes, neminem contristantes. Cum probi, cum boni coeunt, cum pii, cum casti congregantur, non est factio dicenda, sed curia. » Et ad Gentiles conversus: « Fratres autem- — inquit — etiam

1. Plin. Epist. X, 97.

2. Ἀγάπη.

vestri sumus iure naturae, matris unius, etsi vos parum homines, quia mali fratres. At quanto dignius fratres et dicuntur et habentur, qui unum patrem Deum agnoverunt, qui unum spiritum biberunt sanctitatis, qui de uno utero ignorantiae eiusdem ad unam lucem expaverunt veritatis » (Apol. XXXIX).

Hic in Apologetico pulcherrimae insunt sententiae, ut haec: « vicimus cum occidimus, denique evadimus cum abducimur ».<sup>1</sup> Vel haec: « plures efficimur, quotiens metimur a vobis: semen est sanguis Christianorum ».

Ceterum id adhibet genus dicendi, quod pressum sit et gravium sententiarum plenum; cum autem verbis vel singulis vel coniunctis utatur, quae vel nova vel ab eleganti optimorum scriptorum more plus minusve detorta sint, a clara illa Ciceronis perspicuitate remotus, passim obscuritate quadam laborat.

Hoc etiam in eiusdem ceteris operibus sentias (nec mirum: supra enim diximus ex eius genere scribendi ipsius animi impetum ac vehementiam mentisque aciem facile argui posse). Ex quibus haec maxime esse mentione digna mihi quidem videntur:

a) DE PRAESCRIPTIONE HAERETICORUM, quo opere illud contendit, haereticos a Christi hereditate se ipsos submovisse.

b) EXORTATIO AD MARTYRES, quam Christianis scripsit, in vinculis ante extremum supplicium languentibus. Carcer « habet tenebras — inquit — sed lumen estis ipsi. Habet vincula, sed vos soluti Deo estis. Triste illic expirat, sed vos odor estis suavitatis ».

c) DE IDOLATRIA, quo in opere suam illam vehementem pervicaciam mirum in modum ostendit, cum non solum deorum cultum, sed etiam omnia quae aliquid habeant cum illo commune, maxima cum severitate reprehendat, atque illud defendat « exeundum de saeculo » esse Christiano, ne qua labe contaminetur.

d) DE SPECTACULIS, quo libro Christianos hortatur ut publicos ludos fugiant, tamquam « cathedram pestilentiarum ».

---

1. I. e. « cum abducimur ad supplicium ».

e) Libris qui DE CULTU FEMINARUM et DE VIRGINIBUS inscribuntur mulieres monet, ut ab omni ornatu corporis se abstineant, mulierumque artes, quibus nituntur quo pulciores videantur, omnes improbat, ut turpissimas illecebras.

f) Adde AD UXOREM DE PUDICITIA ET DE EXHORTATIONE CASTITATIS libros, quibus tanto castitatis amore se praebet incensum, ut eiusmodi vitam omnes agere velit, quae magis ad Angelos quam ad homines pertineat: neque in Ecclesiae praeceptis quiescit, quin etiam Ecclesiam ipsam accusat, quod iis, quae ipse vitia appellat, perperam indulgeat.

g) Libro DE CORONA defendit milites Christi adduci non posse ut Principis milites fiant.

Omitto complura opuscula adversus multos haereticos, ut ADVERSUS MARCIONEM, ut ADVERSUS VALENTINIANOS, ut ADVERSUS HERMOGENEM. In quibus eadem illa animi vehementia viget, quam supra diximus.

### Minucius Felix.

Eiusdem fere aetatis, quamquam videtur viginti ferme annis post Tertullianum natus esse, MINUCIUS FELIX fuit, qui, et ipse Africanus genere, Romae causas egit, ubi et ad Christianorum fidem se convertit et usque ad provectam senectutem ac senium pervenit, cum mortuus sit anno fere CCLX.

Cuius unum opusculum exstat, OCTAVIUS, quo inter Caecilium quemdam, deorum cultorem, et Octavium Ianuarium, Christianum, eiusmodi de religionibus disputatio continetur, ut Octavius Caecili crimina in Christianos non solum refellat, sed etiam Christianorum doctrinam ac virtutes laudibus celebrando et deorum cultum Gentiliumque moros reprehendendo, Caecilio persuadeat Christi religionem esse sequendam eumque impellat ut se victum esse ac Christianum fieri velle fateatur.

Minuci genus dicendi id est, ut eum ad Ciceronem proxime accedere contendisse dicas, praesertim in narratione illa, quae disputationi praeposita est; ceterum tantam diligentiam ac curam, hac praesertim in operis parte, ille

ostendit, ut singularum rerum quamvis parvi aut nullius momenti descriptione nimis gaudere videatur atque interdum putidior fiat. In quo maxime est mentione dignus locus ille, quo testarum ludus ita describitur: « ... cum ad id loci ventum est;<sup>1</sup> ubi subductae naviculae substratis roboribus a terrena tabe suspensae quiescebant, pueros videmus certatim gestientes testarum in mare iaculationibus ludere. Is lusus est testam teretem iactatione fluctuum levigatam legere de litore, eam testam plano situ digitis comprehensam inclinem ipsum atque humilem, quantum potest, super undas inrotare, ut illud iaculum vel dorsum maris raderet (vel enataret), dum levi impetu labitur, vel summis fluctibus tonsis emicaret (emergeret), dum adsiduo saltu sublevatur. Is se in pueris victorem ferebat, cuius testa et procurreret longius et frequentius exiliret ». (Octav. III).

Quod ad libri materiam pertinet, Minucius, cum Christianos defendat, multa argumenta adducit, quae apud Tertullianum in Apologetico legimus: itaque magna inter doctos controversia orta est, prior utrum Tertullianus an Minucius scripserit: quamquam vero lis adhuc sub iudice est, tamen videtur Apologeticus Octavium temporis ordine antecessisse; neque tamen Minucium a Tertulliano hausisse dixeris, sed potius easdem fere res protulisse, quas alii Christianae fidei defensores apud Graecos praesertim edidissent et ederent.

In Octavio denique vehementiae multo minus quam in Apologetico invenias, minorem utique mentis aciem, sed maiorem gratiam, plus leporis atque urbanitatis: quos enim ille disputantes inducit, ii sunt causarum actores, earum dicendi virtutum periti quam qui maxime.

### Thascius Caecilius Cyprianus.

Thascius Caecilius Cyprianus, et ipse in Africa, Carthagine, anno ferme CC haud obscuro loco natus, iuvenis artem dicendi Carthagine docuit. Cum autem, quintum fere et quadagesimum annum agens, ad Christianorum fidem se

1. Tota disputatio in Ostiensi litore fit.

convertisset, paulo post Carthaginiensis episcopus factus, consilio, auctoritate, operā constantissimā Ecclesiam adiuvit. Postquam vero Decius edictum illud proposuit adversus Christianos, Cyprianus Carthagine se amovit, non quod mortem aut cruciatus timeret, sed ut gregi suo fidelium bonus pastor consuleret. Neque multo post, cum indutiae, ut ita dicam, Christianis concessae essent, Carthaginem regressus, multas multorum animi rerumque perturbationes sua illa constantia ac suavitate, quibus mirum in modum praeditus erat, sedavit et, controversia illa inter Christianos de *lapsis*<sup>1</sup> orta, cum eos alteri in Christianorum numerum nulla ratione admitti posse contenderent, alteri iterum accipiendos esse defenderent, Cyprianus, magna illa sua animi moderatione usus, lapsos docuit iterum in Ecclesiam recipi posse, si scelus expiarent. Idem adversus haereticos mentis acie, animi ardore, morum sanctitate, prospere pugnavit atque Catholicae Ecclesiae unitatem validissimis argumentis defendit. Idem cum magna per duos annos pestilentia saeviret, aegrotis vel Christianis vel Gentilibus opem diligentissime tulit. Cuius tam variae tamque mirabili industriae Valerianus Princeps, renovata Christianorum insectatione, finem imposuit. Nam Galerius Maximus, Africae proconsul, Principis edicto nisus, anno CCLVIII eum iussit gladio necari.

Multa scripsit opera, quae fere omnia exstant. Praecipua sunt DE LAPSIS, DE CATHOLICAE ECCLESIAE UNITATE, DE HABITU VIRGINUM, DE BONO PATIENTIAE, QUOD IDOLA DII NON SINT; quibus ex inscriptionibus ipsis colligere licet quas res ille tractaverit. Adde librum AD DEMETRIANUM, quo Demetrianum, Gentilem quemdam adversus Deum latrantem eique varias imperi Romani calamitates tribuentem, copiose refellit. Etiam liber AD DONATUM dignus est qui memoretur, in quo et Christianorum disciplinam defendit, et tristissimum vitiorum spectaculum ostendit ac queritur, et suam ipsius iuventutem a Deo alienam confitetur, et Deo gratias agit, quod se Verum docuerit et in Christianorum numerum adsciverit. Sed hoc

1. *Lapsi* ii appellati sunt, qui mortis ac tormentorum periculis deteriti, Christianam fidem exuerant: quorum multi sedatis periculis in pristinam disciplinam redire cupiebant.

in opere, magis quam in ceteris, Cyprianus eorum artis dicendi praeceptorum memorem se ostendit, quae iuvenis docuerat, quaeque animi sensus mentisque sententias magis impediunt quam aperiunt, et simplicitati ac naturalitatori obscuritatem quamdam ac frigus obducunt. At ceteris in operibus meliorem profecto se scriptorem praebet, cum verborum rerumque elegantiam sequatur ac sermonis suavitatem quamdam adhibeat, quamquam multa a Tertulliano, quem vehementer admiratus est, ille quidem hausit; ita tamen hausit, ut omnia Christianā eademque sua, ut ita dicam, nativa caritate misceret ac temperaret. Haec scriptoris et hominis virtutes praesertim in eius **EPISTULIS** nitent, quae **LXXXI** ad nos pervenerunt: hinc praesertim mira illa episcopi industria colligitur, qua Ecclesiae salutem ac sanctitatem tutatus est.

### Arnobius.

Arnobius et ipse Africanus fuit — nam Siccæ Veneriae natus est anno ferme **CCXL** — et ipse deos iuvenis coluit et ipse rhetoricam docuit. Ac primo in Christianos diu declamavit. Deinde, sexaginta ferme annos natus — ut Hieronymus tradit — fortasse somnio quodam monitus et ad Christianam fidem conversus, episcopum rogavit, ut se in gregem suum acciperet. Qui cum diu recusaret — nam vehementes rhetoris illae in Christianos declamationes parum fidei praebabant, — tum Arnobius ut episcopo persuaderet, se vere Christianum fieri velle, septem scripsit **ADVERSUS NATIONES** libros, quibus suos animi sensus suasque opiniones ostenderet. Ille vero, quamquam gentilibus adversum atque infensum se praebet et eorum religiones ac caerimonias dicacissime irridet et saepius eandem in eos animi vehementiam adhibet qua antea adversus Christianos exarserat, tamen Christi doctrinam parum, ut videtur, didicit, Evangelia ceterosque Novi Testamenti libros parum lectitavit; quin etiam in eius libris tam multa insunt errata de Dei animorumque doctrina, ut ad haereticos propius accedere, quamvis inscius, videatur. Genus scribendi adhibuit vehementiae aptum, varium, multis verborum luminibus distinctum, saepe rhetorum ampullis praegravatum.



### L. Caecilius Firmianus Lactantius.

Etiam Lactantius in Africa parentibus Gentilibus natus est, anno ferme CCL. Arnobium Siccae Veneriae audivit. Neque multo post coepit et ipse rhetoricam docere. Quin etiam in tantam famam venit, ut Diocletianus eum iusserit Nicomediam, in Bithyniam, venire, ut dicendi artem publice doceret. Quo munere dum fungitur<sup>1</sup> ad Christi religionem se convertit; deinde, Diocletiani illa in Christianos insectatione instituendi munus omittere coactus, ceris et stilo magis incubuit non sine incommodis atque laboribus. Quae autem ante scripsit quam ad Christianos accessit, omnia perierunt, si tamen carmen unum excipias, quod DE AVE PHOENICE inscribitur, quodque incertum est an non Lactantius sed alius poeta scripserit.

Haec Lactanti opera exstant: a) DE OPIFICIO DEI; b) DIVINARUM INSTITUTIONUM LIBRI VII; c) DE IRA DEI; d) DE MORTIBUS PERSECUTORUM. Quorum maximum sane illud est, quod DIVINARUM INSTITUTIONUM LIBRI<sup>2</sup> inscribitur, quo Christianorum religionem, non Tertulliani more, sed ita defendit, ut plus humanitati, plus philosophiae, plus sedatis animi sensibus tribuisse videatur. Christianos sapientiam et religionem mirum in modum coniunxisse. Deorum cultu errorem ac fere dementiam contineri; nonnisi unum enim Deum esse posse. Veteres philosophos omnes fere inter se dissidere, cum falsis opinionibus nitantur; at Christianos ea credere, ea sequi, quae Deus ipse praeceperit atque docuerit. Neque alia re iustitiam contineri, nisi religione ac pietate. Omnes homines, cum ab eadem stirpe, ut ita dicam, orti sint, cum patrem Deum habeant, fratres esse atque arcto caritatis vinculo contineri ac defendi. Cum autem non tam Christianis quam Gentilibus scripserit, multos philosophorum, multos poetarum locos ille quidem profert, raro libris sacris nititur, quorum auctoritatem apud Gentiles nullam fere esse sciebat. Adde quod omnia fere eleganter ac sedato animo explicat, eo dicendi genere usus, quod ad Ciceronem proxime videatur accedere.

1. Sunt qui dubitent an ante se ad Christianos converterit quam Nicomediam peteret.

2. Hos ille sex fere annis scripsit ab anno CCOVI ad a. CCCXI.

Librum DE OPIFICIO DEI adversus Epicureos scripsit, qui hominem querebantur ceteris animantibus multis in rebus cedere. At ille hominis praestantiam defendit ac laudat, Epicureosque « divinorum operum reprehensores » irridet. « Ego — inquit — philosophorum, qui Epicurum sequuntur, amentiam soleo mirari, qui naturae opera reprehendunt, ut ostendant nulla providentia instructum esse ac regi mundum ».

Etiam liber DE IRA DEI adversus Epicureos scriptus videtur. Cum enim Epicurus docuisset neque homines neque humanas res diis esse curae, Lactantius contendit fieri non posse, ut Deus nihil in improbos consuleret neque praemium virtutibus tribueret. Neque tamen Dei iram similem esse irae hominum.

Quod denique opus DE MORTIBUS PERSECUTORUM inscribitur, id Lactantius post Constantini Edictum illud, quod supra diximus, et postremum scripsit. Hic vero miram quandam animi vehementiam animadvertas, quae interdum Tertulliano proxima videtur. Quam ob rem fuerunt qui dubitarent an hoc opus Lactantio tribui non posset. Nunc vero omnes fere qui intellegunt hanc dubitationem reiciunt, praesertim cum hanc Lactanti iram, qua libellus fere totus, ut ita dicam, exardet, nonnulli superiorum operum loci quodammodo iam praenuntiaverint, ut in libro DE IRA DEI, ut etiam in extrema DIVINARUM INSTITUTIONUM libri septimi parte. Ceterum Lactantius hoc libello eorum, qui Christianos insectati erant, mortes ac neces ita narrat, ut iis vehementer gaudere videatur, tamquam poenis a Deo irrogatis. « Qui insultaverant Deo — inquit — iacent; qui templum sanctum everterant ruina maiore occiderunt; qui iustos excarnificaverant, caelestibus plagis et cruciatibus meritis nocentes animas profuderunt. Sero id quidem, sed graviter et digne. Distulerat enim poenas eorum Deus, ut ederet in eos magna et mirabilia exempla, quibus posterius discernere et Deum esse unum et eundem iudicem digna videlicet supplicia impiis ac persecutoribus inrogare ».

Itaque docet, iis, quae eveniunt, ipsaque rerum serie atque ordine Dei providentiam atque iustitiam manifesto ostendi.

Lactantius ab Hieronymo (Epist. 58.10) ita est laudatus: « Vir omnium suo tempore eloquentissimus, quasi quidam fluvius eloquentiae Tullianae ».

### Commodianus.

Interea etiam in carminibus Christiani nonnihil proficiebant. Carmina illi usque ab initio adhibuerunt, id quod multis ex locis cum Pauli, tum aliorum veterum scriptorum facile colligitur; qualia autem ea carmina fuerint, haud satis constat; sed haud scio an hymni primo rudes sane fuerint, quibus Deus et Iesus Christus laudarentur, et versus e sacris Iudaeorum libris detorti. Poetarum vero nomina traduntur nulla ante COMMODIANUM quendam; quamquam, qua aetate hic vixerit nondum compertum habemus. Videtur tamen nunc quidem plerisque grammaticis ducentis ferme quinquaginta vel trecentis annis floruisse post Christum natum. Illud etiam dubitant, an Africanus fuerit. Ceterum satis constat eum, cum Christianorum libros quosdam legisset, se ad Christi fidem convertisse eaque opera scripsisse, quae ad refellendum deorum cultum magis valerent quam ad Christianos docendos.

Huius poetae INSTRUCTIONES exstant et CARMEN APOLOGETICUM. Atque *Instructiones* octoginta carmina sunt, alia breviora, longiora alia, pleraque *acrosticha*, quibus praecepta de moribus continentur. *Carmen apologeticum* mille et sescentos hexametros complectitur, sed eos hexametros, qui *prosodiae*, quam appellant, iam minime pareant, cum syllabarum non quantitate sed numero et accentibus nitantur. Qui mos postea apud recentiores recentiorum gentium poetas invaluit. Adde quod multa insunt verba similiter cadentia. Neque purum sermonem adhibuit, sed multa libere, ne dicam licenter, novavit. Quod ad operis sententiam pertinet, eadem ille vehementia, qua Tertullianus, vel fortasse maiore et in Gentiles et in Iudaeos invehitur, neque Christianis parcat, qui parum constantiae praebeant vel saeculo indulgeant. Idem, cum futurum illud terrarum caelique exitium taeterrimis coloribus pingat, hominum animos perterrere gaudet. Neque satis laetitiae illi concedere videtur, quam divus Paulus in Epistulis commendat, cum « Gaudete — inquit — iterum dico: gaudete

### De postremis gentilium poetis atque scriptoribus.

Nunc vero ad postremos redeamus Gentilium poetas atque scriptores, qui quidem praecipui sint. In quibus primum, si temporum ordinem respicias, DECIMUM MAGNUM AUSONIUM invenias. Qui, quamquam ad Christianorum numerum, provecta fortasse aetate, accessit, Christi tamen praecepta numquam penitus corde accepit, eaque opera edidit, quae a Christi nomine abhorreant.<sup>1</sup>

Burdigälae ille, in Gallia, anno ferme CCCX natus est; Burdigalae primum grammaticam et eloquentiam docuit, tantamque cito famam sibi comparavit, ut Valentinianus Princeps eum Romam vocaverit eique Gratianum filium instituendum commiserit. Etiam consul creatus est (a. CCCLXXIX), deinde Burdigalam cum revertisset, extremos illic vitae annos ita egit, ut in bonas litteras assidue incumberet. Mortuus est anno CCCXCV.

Opera ille plurima scripsit. Quorum haec sunt praecipua:

a) EPIGRAMMATA, variis numeris scripta — CXX fere sunt, — quorum nonnulla e Graeco in Latinum conversa; quaedam dicacitatis et leporis plena;

b) PARENTALIA: triginta carmina sunt, plerumque elegiae, quibus mortuos quosdam propinquos memorat atque luget;

c) COMMEMORATIO PROFESSORUM BURDIGALENSIUM, variis metris et ipsa exarata in professorum laudem, qui Burdigalae docuerunt, quos ille vehementer amavit et admiratus est;

d) DE XII CAESARIBUS, quod opus versibus composuit, Suetonium secutus;

e) ECLOGARUM LIBER de astris;

f) EPISTULARUM LIBER: viginti quinque epistulas complectitur, alteras versibus, alteras soluta oratione conscriptas.

---

1. Si tamen perpaucos locos excipias.

g) Haec omnia opera, ceteraque quae hic omittimus, haud magnis laudibus digna, unum opus et versuum elegantia et poetico afflatu longe superat, IDYLLIA dico, quorum altera versibus hexametris, altera elegis composita sunt, neque omnia amoenitate locorum aut agrestem vitam laudant. Ex his illud est omnium puererrimum, quod MOSELLA inscribitur, quo illius fluminis cursum urbesque, quarum imagines eius aqua recipit, mirum in modum, miro quodam ac subtili artificio describit.

h) Eiusdem etiam oratio una exstat, GRATIARUM ACTIO, quam ille idcirco scripsit, ut Valentiniano Principi gratias ageret, qui se consulem creavisset.

Quamquam vero multa opera composuit, haud magnum poetam se praebuit; doctum quidem hominem eum dixeris atque exquisita illa Alexandrinorum doctrina imbutum sed a poetarum afflatu atque impetu — si pauca excipias — longe abest. Tamen et magna illa doctrina et nativa quadam facilitate ingeni magnam sibi apud aequales famam comparavit.

### Claudius Claudianus.

Maiorem sane, et multo maiorem, poetam Claudius Claudianus se praestitit. Qui anno ferme CCCLX, Alexandriae natus, Graece primum et locutus est et scripsit. Deinde, cum Latinum sermonem, optimos Romanorum scriptores ac poetas assidue lectitando, mirum in modum didicisset, carmina Latine scribere coepit. Postquam vero Romam venit, Flavio Stilichone, optimo militiae duce eodemque Honori Principis administro tum potentissimo, familiariter usus est, eumque multis ac magnis laudibus eo usque celebravit, ut Principi ipsi anteponeret. Illius igitur gratia auctus, multos honores Romae adeptus est, in quibus et tribunatum plebis et, id quod maius videtur, statuam aeneam in foro Traiani erectam, et « praegloriosissimi » poetae nomen, qui et Vergili et Homeri ingenia unus in se collegisset. Neque solum Stilichonem et Honorium laudibus celebravit, sed etiam eorum inimicos, praesertim Rufinum et Eutropium, Arcadi ministros, vehementissimis versibus insectatus est. Ipse vero gratia et honoribus tam

diu floruit, quam diu Stilicho auctoritate ac potentia valuit; postquam Stilicho in Honori offensam incurrit necatusque est, etiam Claudi nomen ac fama evanuit neque quidquam satis constat iam inde de eius casibus, nisi quod videtur paulo post mortuus esse.

Hic et PANEGYRICOS scripsit et poemata vel ad historiam vel ad veteres fabulas pertinentia et poemata obiurationis plena et quaedam minora. Ex Panegyricis, qui sex sunt, hi videntur maxime memoria digni, qui DE TERTIO CONSULATU HONORII et DE QUARTO CONSULATU HONORII et DE SEXTO CONSULATU HONORII inscribuntur, ac praesertim DE CONSULATU STILICHONIS, qui ex tribus constat libris, quorum primo illius fortissimi viri bellicas laudes canit, secundo civiles virtutes extollit, tertio alias invenit causas, cur se in laudes magnificas effundat: hic vero etiam Roma ita laudatur, ut Claudius penitus perspexisse videatur id praecipuum munus Urbis fuisse, ut totum terrarum orbem in unum tamquam corpus redigeret et cultum atque humanitatem cum omnibus hominibus communicaret. Nam « Haec<sup>1</sup> — inquit —

Haec est in gremium victos quae sola recepit  
humanumque genus communi nomine fovit,  
matris non dominae ritu, civesque vocavit,  
quos domuit nexuque pio longinqua revinxit.  
Huius pacificis debemus moribus omnes,  
quod veluti patriis regionibus utitur hospes;  
quod sedem mutare licet; quod cernere Thylen  
lusus<sup>2</sup> et horrendos quondam penetrare recessus;  
quod bibimus passim Rhodanum, potamus Orontem;  
quod cuncti gens una sumus. (III. 150-159).

Ad historiam duo poemata pertinent, quorum alterum DE BELLO GILDONICO, alterum DE BELLO GOTHICO vel POLLENTINO inscribitur. Ac priore illo id bellum sibi canendum sumpsit, quod Romani adversus Gildonem, Mauritaniae regem, gesserunt, et victoriam quam Honorius

1. I. c. Roma.

2. Scil. « Est »: « è un gioco ».

anno CCCXCVIII adeptus est; sed DXXVI illi hexametri, qui ad nos pervenerunt non bellum, sed belli tantum apparatus continent. Poemate autem, quod DE BELLO GOTHICO inscribitur, aliam materiam quaesivit, qua Stilichonem caelo aequaret; nam ingentem illam Stilichonis ad Pollentiam victoriam versibus exornavit, qua Alaricum, Visigothorum regem, anno CDII profligavit.

Poemata obiurgationum et contumeliarum plena duo scripsit, IN EUTROPIUM libros II et IN RUFINUM item libros II. Rufinus autem potens fuit Arcadi minister, Stilichoni infensus. Eutropius, primo Theodosi, deinde Arcadi gratia auctus, e servili condicione paulatim assurgens, eo auctoritatis ac potentiae pervenit, ut Rufini in locum succederet, et ipse Stilichonis inimicus. Itaque Claudius Claudianus saepius in eos vehementissime invehitur, interdum eos irridet et res ita narrat, ut humana cum inferis misceat, et scelestos illos tamquam a Furiis impulsos inducat, ut bellum inter Occidentis et Orientis solis partes pravis consiliis excitent, pacemque a Stilichone partam dissolvant. Hos libros qui legit facere non potest quin modo Iuvenalis, modo Senecae eiusque satirae adversus Claudium Principem meminerit, praesertim cum etiam Rufinus apud Claudianum in Inferos decidentem videamus, neque Minos eum accipiat, quippe qui nullam in Inferis poenam eius sceleribus parem inveniat, sed eum trans Stygem, trans Erebum in vacuum spatium flagellis insecetur.

Ad fabulas duo poemata pertinent, GIGANTOMACHIA, et DE RAPTO PROSERPINAЕ; sed *Gigantomachiae* CXXVIII tantum versus ad nos pervenerunt, ex quibus ne illud quidem apparet, qua ratione ille res narraturus fuerit. At poema quod *De raptu Proserpinae* inscribitur nullum est dubium quin Claudiani sit opus potissimum, quamvis res canat iam vetustate obsoletas: tam poetico afflatu, tanto artificio tamque miro iudicio eandem retractat fabulam, quam Ovidius et in Fastis (IV. 417-618) et in Metamorphoseon libro V (341-572) pulcherrimis coloribus pinxerat. Tres sunt libri, neque operi finis videtur impositus esse: illic enim interruptum est, ubi Ceres suos illos incipit errores, raptam filiam quaerens.

Statim ex eius primis versibus intellegas magno eum impetu impelli. Nam ita incipit:

Inferni raptores equos, adflataque curru  
sidera Taenario, caligantesque profundae  
Iunonis thalamos audaci prodere cantu  
mens congesta iubet. Gressum removete, profani.  
Iam furor humanos nostro de pectore sensus  
expulit et totum spirant praecordia Phoebum;  
iam mihi cernuntur trepidis delubra moveri  
sedibus et claram dispergere limina lucem,  
adventum testata Dei: iam magnus ab imis  
auditur fremitus terris, templumque remugit  
Cecropium sanctasque faces attollit Eleusis.

Trium librorum pulcherrimus est tertius in quo lyricum genus cum epico mirum in modum coniunctum videmus.

Carminibus denique, quae « minora » diximus, quaedam EPITHALAMIA continentur et LAUS SERENAE, Stilichonis uxoris, et FESCENNINI quidam, variis numeris conscripti, et EPISTULAE et EPIGRAMMATA et IDYLLIA: quae omnia eadem fere verborum elegantiam, eodem artificio, eadem doctrina et fabularum scientia nitent, quas virtutes, cum ab aliis poetis, tum a Vergilio et ab Ovidio assidue lectitando didicit; neque tamen imitatione solum sed praesertim ingeni celeritate et miro quodam mentis afflatu tantam poeticam facultatem adsecutus est.

### Claudius (?) Rutilius Namatianus.

Nunc vero ad postremum Gentilium poetam, qui quidem mentione sit dignus, veniamus, ad Rutilium Namatianum dico. Qui in Gallia — qua in urbe, quo anno parum constat — eo patre natus, qui magnos in re publica honores adsecutus sit, Romae « praefectus officiorum » anno CDXII creatus est, et paulo post (a. CDXIV) « praefectus Urbis » fuit. Sed anno CDXVI, cum Visigothi Ataulfo duce in Galliae regiones invasissent patriosque Rutili agros vastavissent, ab Urbe ille profectus patriam nave petivit: nam via Aurelia id temporis ita erat corrupta atque interrupta, ut nullum viatori iter praeberet. Utrum autem Rutilius



in Galliam pervenerit an in itinere mortuus sit ignoramus. Illud satis constat, eum Lunam, quod oppidum inter Ligurum Etruscorumque fines fere medium iacuit, pervenisse: id quod ex eius brevi poemate colligimus. Hoc poema DE REDITU SUO inscribitur neque ei extrema manus accessit; nam librum primum, qui ex DCLXIV versibus constat, sequuntur alterius libri versus LXVIII. Elegi sunt: quos ille fortasse idcirco adhibuit, quo melius animi aegritudinem aperiret; nam et patriam suam a barbaris vastatam sciebat, et Romam, quam vehementer amabat, relinquere triste erat, et regiones videbat barbarorum populationibus corruptas ac longo metu late desertas. Huius poematis magis quam itineris descriptio illa pars est mentione digna, qua ille Romam alloquitur ac multis laudibus celebrat; praeter ceteros autem hi versus sunt notissimi:

Fecisti patriam diversis gentibus unam  
et  
Urbem fecisti quod prius orbis erat.

Practerea « reginam » eam appellat « sui pulcherrimam mundi », et « nutricem hominum » et « genetricem deorum ».

Te canimus semperque, sinent dum fata, canemus:  
sospes nemo potest immemor esse tui.

Obruerint citius scelerata oblivia Solem,  
quam tuus ex nostro corde recedat honos.

Hic tantus Urbis amor atque admiratio caeco quodam in Christianos odio — o malum! — pensatur. Quodsi Claudianum paganum pervicacissimum Paulus Orosius iudicavit, haud sane minus pervicax fuisse Rutilius videtur. Itaque, cum prope Caprariam et Gorgonem insulas naviget, quo monachi a saeculo confugerant ubique vitam solitariam agebant quo plenius Deum laudarent atque ipsi soli servirent, Rutilius in eos vehementissime invehitur eosque Lucifugas appellat. Fortunae, cum timeant offensas, dona illos fugere et malorum metu malis se dare.<sup>1</sup>

1. Inter poetas extremae aetatis aliqua mentione non sunt indigni RUFUS FESTUS AVIENUS et AVIANUS quidam, quorum prior, Volsinis natus, anno ferme CCCLXX floruit. Hic Arati PHAENOMENA Latine convertit

### De postremis gentilium scriptoribus.

Ex omnibus illius aetatis rerum scriptoribus unus eminet, **AMMIANUS MARCELLINUS**. Qui, Antiochiae natus, inter annos fere **CCCXXX** et **CD** vixit. Eum satis constat adulescentem pluribus in Romanorum exercitibus, in Orientis solis partibus, in Germaniis, in Gallia stipendia meruisse et Iulianum principem secutum esse. Deinde, iam senior, cum Romae suas sedes constituisset, **REKUM GESTARUM LIBROS XXXI** scripsit, quibus res complexus est, quae a Nerva usque ad Valentem Principem, ab anno **XCVI** ad annum **CCCLXXVIII** gestae sunt; Taciti igitur Historiis suam ille narrationem coniunxit Tacitumque videtur imitari voluisse, neque vero inscite; quamquam eo utitur genere dicendi, quod barbariam, ut ita dicam, quodammodo redoleat, atque, cum breve esse velit, obscurum saepe fiat. Sed in perpendendis rebus, in rerum causis inveniendis, in rerum urbanarum cum longinquis bellis militaribusque expeditionibus conexione explananda atque explicanda, acutum utique et sagacem se praebet. Taciti etiam celerem illam brevitatem imitatus est; iudici aequabilitate illum profecto superavit; nam sine ira et studio non solum se scripturum esse professus est, sed vere scripsit. Quamquam enim Iulianum eiusque virtutes est admiratus, tamen eius vitia reprehendit. Quodsi et ipse Christianis est infensus, tamen et Iuliani nimium illud in Christianos odium notat, et eorum virtutes, atque in primis fortitudinem in cruciatibus et mortibus subeundis, admiratur et laudibus celebrat. Neque solum narrat, sed etiam multas refert orationes, multas addit sententias, quibus res hominesque iudicat atque perpendit. Idem Romanum imperium admiratur et suspicit, neque ante perituum esse credit quam homines deficient. Huius operis primi desiderantur tredecim libri: ea pars, quae exstat, res complectitur a Constantini Magni heredibus, a Iuliano, a Ioviano, a Valentiniano primo, a Valente denique gestas.

---

et **ORAM MARITIMAM** trimetris iambicis scripsit, cuius poematis **DCC** versus libri primi exstant. Adde **ORBIS TERRARUM DESCRIPTIONEM**, ex quo multi hexametri exstant, sed varia ratione corrupti. **AVIANUS XLII FABULAS** elegis composuit, Babrium potissimum secutus, haud multis laudibus dignas.

Minore profecto laude illi sunt digni, quos **SCRIPTORES HISTORIAE AUGUSTAE** appellare solent; qui multorum Romanorum Principum ab Hadriano usque ad Carinum et Numerianum vitas narraverunt, Suetonium utique imitati. Sex scriptores fuerunt, quorum quattuor Diocletiani aetate,<sup>1</sup> reliqui (**AELIUS LAMPRIDIUS** et **FLAVIUS VOPISCUS**) paulo post floruerunt. Eorum opera postea nescioquis in unum collegit. Res illi parum subtiliter narrant, neque ea quae maioris momenti sunt ab iis discernunt, quae flocci non sunt facienda, nimiae ac levi curiositati indulgentes. Genus scribendi aridum ac ieiunum adhibent fere omnes; ceteros Lampridius et Vopiscus aliqua orationis virtute et sententiarum pondere videntur superare.

**AURELIUS VICTOR**, quem Pannoniae praefuisse constat et anno **CCCLXXIX** Praefectum Urbi fuisse — cetera de eius vita ignoramus — anno ferme **CCCLX** opus composuit, quod **CAESARES** inscripsit. Neque tamen Caesarum vitas tantum complectitur, sed res celeriter narrat ab Augusti aetate usque ad Constantini tempora gestas. Monumentis auctoribusque ille quidem bene videtur esse usus, et Sallustium imitari voluisse, sed ab huius miro artificio longissime abest.

Maiorem utique famam **EUTROPIUS** assecutus est, qui Valentis aetate **BREVIARIUM AB URBE CONDITA** scripsit. Decem sunt libri, quibus omnes Romanorum res usque ad Ioviani aetatem « strictim » narratae continentur. Cuius operis maximae laudes sunt constans quaedam iudici aequabilitas et grata orationis simplicitas. Adde quod auctoribus ille recte utitur et nonnullos Principes paucis sed apte pingit.

Hactenus de rerum scriptoribus. Nunc perpaucis alios memorabimus, qui, soluta oratione usi, aliquam sibi famam comparaverunt. Atque in primis **Q. AURELIUM SYMMACHUM** rhetorem nominabimus, qui, Romae anno **CCCXLV** nobili genere natus, dives, multos honores adeptus est, praefectus

---

1. **AELIUS SPARTIANUS**, **IULIUS CAPITOLINUS**, **VOLCACIUS GALLICANUS**, **TREBELLIVS POLLIO**.

Urbi anno CCCLXXXIV, consul anno CCCXCI. D. Ausoni, quem supra diximus, amicus fuit. Idem deorum cultum ac veterum religionem pervicaciter defensitavit, Christianis, quamvis non acriter, adversatus est. De vita decessit anno ferme CDXV.

Illius octo ad nos ORATIONES pervenerunt, ex quibus tres Panegyrici videntur esse, quibus Valentinianus princeps eiusque filius Gratianus laudibus celebrantur. Quamquam vero a magnis illis optimae litterarum aetatis orationibus longe absunt, aliqua tamen gratia atque elegantia nitent. Eiusdem etiam RELATIONES exstant, quas ille praefectus Urbi ad Principem mittere consuevit: ex quibus illa praesertim in famam venit, quam ad Valentinianum secundum frustra misit, ut Victoriae deae ara in Senatu restitueretur. Eius tamen opus potissimum EPISTULARUM libris decem continetur, quas eius filius edidit, non in temporis, sed in nominum ut ita dicam ordinem redactas eorum ad quos ille scripserat. Quamvis vero Plinium imitari voluisse videatur, Plinio tamen multo est inferior. Nam verbosum se praebet, genusque dicendi adhibet putidum eiusque hominis, qui non in medio populo, sed in Principum aula vixerit. Hunc tamen docti quidam eiusdem aetatis homines, praesertim Ausonius et Macrobius, magni fecerunt ac laudaverunt; quin etiam Prudentius, praeclarissimus Christianus poeta, eius linguam iudicavit « miro verborum fonte fluentem ».

Iisdem fere temporibus alii rhetores floruerunt, quorum exstant PANEGYRICI, in unum tamquam corpus collecti, qui, cum Plini Panegyrico illi quodammodo similes sint, ab illius tamen artificio longe absunt; neque enim Plini illa orationis elegantia nitent, et infimis stolidisque Principum adulationibus scatent.

Veniamus ad *grammaticos*. Quorum in numero haud postremum tenuit locum AELIUS DONATUS, qui anno ferme CCCL floruit et, qua doctrina fuit, multos homines docuit, qui postea clari fuerunt. Terenti comoedias ille explanavit,<sup>1</sup>

1. Ad nos vero non ipsius commentarii pervenerunt, sed adnotationes quaedam, quas postea nescioquis ab illis deduxit.

et Vergili commentarium edidit, quod desideratur, et ARTEM GRAMMATICAM composuit. Hunc SERVIVS HONORATUS diligenter audivit, cuius commentarii in tria illa Vergili opera ad nos pervenerunt, unde multas ac varias notiones colligere licet ad antiquas fabulas, ad historiam, ad bonas litteras, ad caerimonias ac religionem pertinentes.<sup>1</sup> Etiam T. CLAUDI DONATI quaedam INTERPRETATIONES VIRGILIANAE exstant.

Eadem fere aetate NONIVS MARCELLVS floruit, natione Numida, qui DE COMPENDIOSA DOCTRINA AD FILIVM viginti libros scripsit, magnam utique variarum notionum congeriem, quae ad grammaticam quodammodo pertinent. In quibus multa errata insunt et quae risum facile moveant: tamen cum multos in iis prolatos inveniamus scriptorum locos, aliquam utilitatem capimus; praeterea multa de navibus, de vestibus, de vasis, de calceamentis, de cibis, de armis, aliisque de rebus, hinc discimus, quae aliunde ignoraremus.

Novum quoddam opus MARTIANVS CAPELLA, Africanus natione, anno fere CD edidit, quod DE NUPTIIS PHILOLOGIAE ET MERCVRII inscripsit. Novem sunt libri, partim versibus partim soluta oratione scripti, quorum duobus prioribus continua translatione nuptiae narrantur Mercuri, studiorum atque humanitatis fautoris, et Philologiae, novae cuiusdam deae; ceteri de grammatica sunt, de dialectica, de rhetorica, de geometria, de arithmetica, de astronomia, de musica denique atque poetica. Totum opus, quamvis parum elegans, cum multas notiones, multos contineat scriptorum locos, et ipsum ab hominibus doctis non sine aliqua utilitate legitur.

PRISCLANVS terminos quidem huius aetatis quodammodo excedit, sed eius opus potissimum id est, quod cetera eiusdem generis facile superet. Hic anno ferme D INSTITUTIONUM GRAMMATICAE LIBROS duodeviginti scripsit, qui et rerum ordine et iudici subtilitate et doctrinae copia plurima per saecula in usu scholarum manserunt.

Multos praetereo, quorum opera vel minoris sunt vel ad litterarum historiam minus pertinent: quamquam non-

1. Idem Aeli Donati ARTIS, quam supra diximus, commentarios edidit.

nulli mentione non indigni videntur esse, ut FLAVIUS VEGE-  
TIUS RENATUS, qui EPITOMAM REI MILITARIS, ut C. IULIUS  
SOLINUS, qui COLLECTANEA RERUM MEMORABILIUM, ut  
FIRMICUS MATERNUS,<sup>1</sup> qui MATHESEOS LIBROS OCTO, ut  
denique PALLADIUS RUTILIUS TAURUS AEMILIANUS, qui,  
Columellam potissimum secutus, DE RE RUSTICA quattuor-  
decim libros scripsit. Sed longum est omnes persequi et vel  
paucis recensere.

---

1. Hic, ut videtur, idem est, qui librum scripsit DE ERRORE PROFANA-  
NARUM GENTIUM, quem infra paucis memorabimus.

## De Christianis scriptoribus quos Patres Latinae Ecclesiae appellant.

Post Mediolanense illud Constantini edictum, quo Christianorum victoria tandem denuntiata est, inter Christianos non defuit qui, nova illa condicione ac pace parum contentus, eo usque victoriam adducere vellet, ut bellum Gentilibus eorumque religioni inferendum, eorum templa delenda, ipsos poenis insectandos esse censeret. Quod si hominum studiis consentaneum fuit, tamen Christi praeceptis ac doctrinae parum respondet: alia enim esse Christianorum arma Christus docuit, aliam vitae rationem. Ceterum humanum illum, quem supra dixi, animi impetum, illam animi vehementiam FIRMICUS MATERNUS eo libro ostendit, qui DE ERRORE PROFANARUM RELIGIONUM inscribitur.

Hoc enim ille «sacratissimos Imperatores» monet, ut adversus Gentiles leges ac poenas adhibeant, quibus eos cogant falsam religionem, daemonum cultum, corruptissimam illam vivendi rationem relinquere et ad Christianorum doctrinam ac disciplinam se convertere.

Neque vero Firmico Materno Imperatores satisfecerunt, neque multi eum hac via secuti sunt. Sed longo alia fuit Christianorum cura, longe alia opera maximi illius aetatis scriptores edenda censuerunt. Iam enim non tam Gentiles quam pravae quaedam quorundam Christianorum opiniones adversus Christianae fidei integritatem arma, ut ita dicam, moverant; quodsi nonnullae haereses iam pridem, dum insectationes saeviunt, ortae erant, tamen tum maxime increbuerunt et tamquam incendium totas regiones populatae sunt, cum Constantini edictum Christianorum victoriam quodammodo denuntiavit. Atque in primis falsa illa Arii doctrina, praesertim in Orientis solis partibus maximum incrementum cepit, qui docuerat Iesum Christum non esse «consubstantialem» Deo Patri, sed primam esse creaturarum.

Hunc errorem, quo tota de Trinitate doctrina perturbata est, quique quosdam Imperatores, ut Constantium, contaminavit, cum alii tum HILARIUS strenue impugnavit. Qui Pictavii,<sup>1</sup> in Aquitania, nobili genere ortus, bonis litteris adulescens operam dedit, cumquo sacros libros lectitaret, Christianam sapientiam amplexus est. Anno CCCLIII episcopus Pictaviensium accitus, ore et stilo adversus Arianos fortiter pugnavit. Deinde Saturnini, Arelatensis episcopi, qui Arianis favebat, malis artibus a Constantio « in Phrygiam relegatus — ut Hieronymus tradit — duodecim adversus Arianos confecit libros ». (De vir. ill. CX.) Postea, aliqua tranquillitate restituta, domum cum revertisset, miram illam scribendi atque dicendi alacritatem non intermisit. Mortuus est anno CCCLXVII.

Cuius potissimum opus duodecim illi sunt adversus Arianos libri DE TRINITATE, in quibus satis elegantiae, multum doctrinae theologicae, nonnihil ardoris atque impetus insunt. Multa alia ille scripsit, quae longum est recensere:<sup>2</sup> haec vero digna mihi quidem mentione videntur: LIBER DE SYNODIS, « quem ad Galliarum episcopos scripsit », et CONTRA CONSTANTIUM IMPERATOREM. Idem nonnullos et Veteris et Novi Testamenti libros explicavit, Origenis ceterorumque Alexandrinorum, quos appellant, viam ac rationem secutus; et ille enim pleraque ita interpretatur, ut continuas translationes iis contineri doceat. Adde quod primus hymnos in fidelium usum Latine scripsit.

### Ambrosius.

Nunc quattuor occurrimus praeclarissimis viris iisdemque maximis scriptoribus, quorum tres inter Sanctos numerat ac veneratur Ecclesia Catholica, Ambrosium, Hieronymum, Augustinum; quartus, Prudentius, omnium antiquae aetatis Christianorum poetarum maximus iure habetur. Quod nisi eorum opera magis ad Sacram, quam appellant, Scripturam, ad theologiam, ad rerum divinarum scientiam, quam ad bonas litteras pertinerent, multo ube-

1. Hoc oppidum nunc POITIERS appellant.

2. Cfr. Hier. De vir. ill. CX.



rius et fusius nobis hic esset disserendum. Nunc autem pauca memorabimus, eaque maximi momenti.

AMBROSIUS, Treviris, nobili Romanorum genere, anno ferme CCCXL natus, Romae diligentissime institutus, bonas litteras ac simul artem rei publicae administrandae scite didicit; itaque iuventutem vix ingressus, Liguria et Aemiliae, quarum regionum Mediolanum caput tum erat, praefectus est. Ac Mediolani, cum Auxentius, Arianus episcopus, mortuus esset, eique ut successorem acclamaret populus in templo ita versaretur, ut magnum esset inter eos, qui veram doctrinam sequerentur, et Arianos certamen, dum Ambrosius civium concordiae consulit, sui magistratus auctoritate nisus, repente, ut traditur, puer clamavit: « Ambrosius episcopus! Ambrosius episcopus! » Cui voci universus populus statim assensisse dicitur, ac verba illa unius pueri ab omnibus iterata esse. Frustra ille huic universi populi voluntati obstitit; frustra fugere conatus est. Itaque perpaucis diebus et baptizatus est — nam illis temporibus, non infantes, sed iam adulti baptizari solebant — et ad sacros ordines, quos appellant, accessit et episcopus accitus est. Qualem vero episcopum statim se praebuit! Quibus et Christianis et Romanis et humanis virtutibus ornatum! Quanta animi et corporis fortitudine veram Christianorum doctrinam, Ecclesiae libertatem, dignitatem, auctoritatem, populi iura, honestosque mores defensitavit! Tribus ille imperatoribus, Gratiano, Valentiniano secundo, Theodosio, multa recte suasit. Iustinae, Valentiniani matri, tum ob teneram filii aetatem imperium exercenti et Arianis faventi, invictam sui animi constantiam fortiter atque animose opposuit. Multis episcoporum conciliis adfuit, multos ope, consilio, adhortationibus adiuvit; multa ac longa itinera suscepit. Nemo, quamvis potens ac ferus, eum a iustitia unquam deterruit; adversus vim Dei hominumque iura defendit. Veterum Romanorum miram illam fortitudinem in eius animo extremas sibi sedes delegisse dixeris. Hac tamen cum fortitudine etiam suavitatem quandam mirum in modum coniunxit atque illud recte sibi sumpsit: « Fortiter et suaviter ».

Hunc hominem, tot tantisque curis et negotiis districtum, tot volumina tantaeque molis scribere potuisse, vix

credi posse forsitan dicas. Atqui ea exstant neque quisquam dubitare potest quin illi tribuenda sint.

Neque omnia hic recensebimus: pleraque ad interpretandos sacros libros spectant, ut EXAMERON, quo novem sacrae orationes continentur de sex illis diebus, quibus in Genesi mundum creatum esse legimus. Hic Ambrosius, ut multis aliis in operibus, elegantissimos Latinos scriptores se lectitavisse ostendit, quorum coloribus atque artificiis amoenitates locorum ac totius mundi pulcritudines ornat, rerumque naturam ita describit, ut eius Creatorem maximis laudibus celebret. Quin etiam undique causam sibi sumit, ut hominum mores corrigat, ut virtutes doceat atque commendet. Haec enim est eius fere praecipua scriptoris nota, ad bonos mores spectare atque contendere, magis quam ad altam summae Veritatis investigationem.

Sunt tamen nonnullae etiam doctae dissertationes, magis ad theologiam dogmaticam, quam appellant, pertinentes, ut DE FIDE, ut DE SPIRITU SANCTO, ut DE INCARNATIONE, quas ad Gratianum, rogatus, misit, cupientem falsas Arianorum doctrinas refellere.

Multae sunt sacrae orationes, quas in templis ille habuit, ut vel sacrorum librorum locum aliquem explicaret vel ad virtutes Christianos hortaretur vel praeclaros aliquos homines mortuos laudaret.<sup>1</sup> In quibus orationibus vere facundum ille et disertum et interdum grandiloquum se praebuit. Digna sane mentione etiam haec opuscula sunt: DE BONO MORTIS; DE VIRGINIBUS LIBRI TRES; DE VIRGINITATE; EXHORTATIO VIRGINITATIS;<sup>2</sup> DE VIDUIS. Sed maioris momenti tres illi libri videntur esse, quos DE OFFICIIS MINISTRORUM scripsit, Ciceronem ita secutus, ut eius praecepta expleret et ad sacerdotum vitam accomodaret. Neque enim philosophorum doctrinam aut veterum poetarum artem ille respuit, sed sacrorum librorum auctoritate saepius nititur. Sunt qui unum huius operis locum libentius afferant, quo ille iniquam divitiarum distributionem queritur

1. Tres praesertim orationes hic memorabo, quibus et Satyrum fratrem et Valentinianum secundum et Theodosium mortuos facunde laudavit.

2. Ambrosius virginum et virginitatis magnus fuit laudator: multi eius sunt loci, quibus hanc vitae condicionem ac disciplinam mirum in modum se diligere atque admirari ostendit.

his verbis (I. 27.132): « Formam iustitiae putaverunt, ut quis communia, id est publica, pro publicis habeat, privata pro suis. Ne hoc quidem secundum naturam; natura enim omnia omnibus in commune profundit. Sic enim Deus generari iussit omnia, ut pastus omnibus communis esset, et terra foret omnium quaedam communis possessio. *Natura* igitur ius commune generavit, *usurpatio* ius privatatum. » Mihi vero, si quis hunc locum adducat, ut illud contendat, Ambrosium bonorum aequandorum doctrinam defendisse, errare ac labi videtur. Atque in primis vocem illam « usurpationem » quis pro certo habeat, hoc Ambrosi loco, idem significare, quod Italice « usurpazione », cum apud Ciceronem aliosque optimos scriptores idem fere significare soleat quod « Usus »? Sed hoc praesertim animadvertite, Ambrosium nulla ratione defendere potuisse omnia in eundem statum restituenda esse, in quo a Deo creata vel *Natura* constituta essent antequam homo peccaret. Meā quidem sententiā locus ille, quem supra attulimus, eo spectat ut divites moneantur, ea quae possideant se non tamquam propria possidere, sed in usu habere. Hoc alii Ambrosi loci testari videntur, ut Exam. VI. 8. 51-52, in quo et divites et pauperes alloquitur.

Postremo EPISTULAS memorabo ex quibus XCII ad nos pervenerunt: quae maxime variae sunt, cum aliae sint breves, aliae longissimae, quaedam ad privatos homines, plures ad episcopos, ad praeclaros viros, ad ipsos Imperatores missae, aliae de rebus ad religionem pertinentibus, aliae de re publica agant. In quibus illa maximi momenti est, quam ad Valentinianum secundum misit, ut relationem illam Symmachi, quam supra dixi de ara Victoriae restituenda, refelleret. Ita autem refellit ut omnia illius argumenta singillatim refutet vel risu respergat. Neque ara Victoriae restituta est.

Genus dicendi Ambrosius id adhibet, eum sermonem, ut multa optimos scriptores atque in primis Ciceronem oleant, multa ex cotidiano illius aetatis ac familiari sermone sumpta ac parum diligenter coniuncta esse videantur, nonnulla vero obscuritate quadam laborent, cum interdum ignoremus legentes, quid Ciceronis verba aetate Ambrosi vere significare consueverint, cum quadringentorum fere an-

norum spatium intercidisset. Ceterum ipse dicit « non verborum elegantiam, sed vim rerum expectandam » esse. « Aurea enim, sicut Scriptura docet (Ecl. VI 11), est lingua sapientium litteratorum, quae, phaleratis dotata sermonibus et quodam splendentis eloquii velut coloris pretiosi corusco resultans, capit animorum oculos specie formosi, visuque perstringit. Sed aurum hoc si diligentius manu tractes, foris pretium, intus metallum<sup>1</sup> est. » (Epist. XVIII. 2). In quo illud est animadvertendum, Ambrosium, quamvis phaleratos sermones respuat, ipsum tamen aliquando iis uti sententiis ac verborum iuncturis, quae a phaleratis illis sermonibus haud longe absint.

Alia denique non parva laus Ambrosio est tribuenda, quod non solum soluta oratione usus est, sed etiam hymnos ad usum fidelium utique laudandos composuit. Ex iis tamen, qui tamquam Ambrosi traditi sunt, quattuor tantum grammatici nostrae aetatis ei sine ulla dubitatione tribuendos esse consentiunt: quorum primus est hymnus vespertinus (« Deus creator omnium »), secundus hymnus matutinus (« Aeterne rerum conditor »), tertius ad horam tertiam spectat (« Iam surgit hora tertia »), quartus denique Iesu Natalem laudibus celebrat (« Veni redemptor gentium »). Omnes ex strophis constant quattuor versuum, qui dimetri iambici sunt.

Praeter hos de quindecim aliis hymnis dubitant an illi tribui possint.

### Eusebius Hieronymus.

Hieronymus, Stridone, quod oppidum postea a Gothis eversum, « Dalmatiae quondam », ut ipse tradit, « Pannoniaeque confinium fuit », anno ferme CCCXL « patre Eusebio natus », neque multo post, cum eius familia pecunia non indigeret, Romam missus ibique probe institutus, Aelium Donatum, quem supra diximus, diligenter audivit, multaque didicit praesertim ad grammaticam ad rhetoricam ad philosophiam pertinentia; optimos scriptores non solum assidue lectitavit, sed vehementer admiratus est ac tanto studio coluit, ut id postea, cum ad severiorem vi-

1. Scil.: « ferrum ».

tae rationem tenderet, eum paenituerit. Iuvenis vitiis ac luxui aliquantum indulisit; postquam vero, anno ferme CCCLXV baptizatus est, Treviros, quae Galliae urbs litterarum studiis tum florebat, se contulit, deinde cum flagrantissime cuperet monachus fieri, in Calcidem, quae est regio Syriae finitima, se contulit ibique suae inventutis ac luxuriae poenitentia motus, voluntariis corporis cruciatibus se dedit, ut animi tranquillitatem sibi compararet. Hinc quinque fere post annis cum Antiochiam venisset, ad sacerdotium accessit. Nec diu moratus est Antiochiae. Nam anno CCCLXXII Romam revectus, cum Damaso, Christianorum pontifice maximo, amicitiam iunxit, eiusque et gratia fretus et hortationibus impulsus, veterem quandam librorum sacrorum Latinam interpretationem, quam VETEREM ITALAM appellant, emendavit, Novumque Testamentum Graecae fidei, ut ipse dicit, reddidit. Cum autem Romae non solum doctrinam, sed etiam vitae severitatem foveret, et Christianos parum hoc nomine dignos ad iram suis reprehensionibus movisset, postquam Damasus, qui ei favebat, vita decessit, haud diu Romae ille mansit, sed alterā illā Babylone, ut ipse dicit, relicta, in Palaestinam se contulit, duabus nobilissimis feminis comitatus, quas ille ad rerum divinarum contemplationem religiosamque vitae rationem impulerat atque duxerat. Quaecum coenobium monachorum apud Bethlehem suo sumptu instituissent, illuc ingressus est Hieronymus; at illae, Paula eiusque filia Eustochium, in monacharum coenobium secesserunt, quod ipsum eadem condiderant.

XXXIV annos Hieronymus in Palaestina vixit, quibus et alia multa utique scripsit et sacros libros ab Hebraico sermone, iam non a Graeco, in Latinum transtulit, immensum opus ac sane omnibus laudibus dignum; quod, quamvis diu atque acriter a multis impugnatum, eo tandem valuit, ut ceteris eiusdem generis anteponeretur.<sup>1</sup>

Quam multa autem scripserit vel a postremo libri DE VIRIS ILLUSTRIBUS capite colligi potest, quamquam illic ea tantum recenset quae usque ad « annum Theodosi Prin-

1. Haec appellari solet VULGATA vel VULGATA EDITIO. Hanc Concilium Tridentinum « authenticam » appellavit.

cipis decimum quartum » (i. e. CCCXCII) scripserat. Ille vero multos inde vitae suae annos adiecit; nam usque ad annum CDXX vixit.

Magna ille ac multa non solum cum ignavis ac corruptorum morum sectatoribus, sed etiam cum egregiis quibusdam viris atque virtute omni florentibus certamina sustinuit. In eo enim acris fuit animi vehementia, acre ingenium. Quodsi illo impetu ad vitae sanctimoniam pervicaciter, ut ita dicam, ferebatur et ad veritatem defendendam, nonnumquam tamen eum se praebuit, qui aliorum opiniones ferre non posse videretur. Itaque etiam ab Ambrosio, etiam ab Augustino nonnihil dissensit. Tamen ita flagranti studio virtutem coluit veramque doctrinam defendit, ut eum Ecclesia in Sanctorum numerum retulerit.

Cuius ex operibus ea recensebimus, quae ad bonas litteras maxime pertinent, neque tamen illud praetermittere possumus, Hieronymum in iis, quae multa scripsit ut libros sacros interpretaretur atque explicaret, ab Alexandrinorum, quos supra diximus, via ac ratione longe abesse, cum non continuas translationes ubique inveniat, sed veram verborum ac sententiarum vim explicare contendat, neque ingeni celeritate nitatur, sed mentis acumine et illa sua antiquorum sermonum mirabili scientia atque doctrina.

Plura ille opera adversus haereticos scripsit, in quibus praesertim vehementem sui ingeni impetum ostendit, cum hic praesertim acerbissimis dictis utatur et frequenti dissimulatione atque acri dicacitate omnia fere condiat. His artibus Iovinianum quemdam obruit; Vigilantium mutato nomine *Dormitantium* appellat; Pelagium, qui Dei Gratiā minuere studebat, « Scotarum pultibus praegravatum » dicit; Rufinum quendam « Scorpionem in pure periturum » definit. Neque tamen solis conviciis utitur, sed falsas opiniones diligenter refellit. Librum DE VIRIS ILLUSTRIBUS iam haud semel memoravi: hoc ille omnes Ecclesiae scriptores eorumque opera usque ad suam aetatem recenset neque sua ipsius scripta praeterit. Idem Eusebii, insignis Graeci scriptoris, CHRONICON alteram partem Latine ita convertit, ut de Romanorum rebus atque scriptoribus multa, a Suetonio plerumque sumpta, adiecerit.

Aliud opus maximi momenti ex EPISTULIS constat, quas ille multas et maxime varias scripsit. Aliae enim sunt *consolationes*, amoris ac caritatis plenae, aliae sunt de Deo, de sacris libris, de rerum divinarum contemplatione, doctae, copiosae, subtiles dissertationes; aliis amicos vel nobilissimas feminas vehementer atque interdum lyrico fere impetu hortatus est ad vitae sanctitatem, ad pium solitudinum amorem, ad eorum cogitationem quae sursum sunt; aliis de bonis litteris ita disputat, ut miram quandam in hoc genere doctrinam adeptus esse videatur. Eius genus dicendi varium, vehemens, facile, expeditum, aptis coloribus ornatum, interdum prolatis optimorum scriptorum poetarumque locis scite redundans. Optimum tamen simplicitatis ac naturalis nitore exemplum in tribus opusculis, quibus VITAE continentur SANCTI PAULI EREMITAE et MALCHI, captivi monachi, et BEATI HILARIONIS.

### Aurelius Augustinus.

Aurelius Augustinus, unus omnium maximus Ecclesiae Patrum, quos appellant, Thagaste, in Numidia oppido, haud obscuro loco, patre Gentili, matre Christiana ac magnis virtutibus praedita,<sup>1</sup> anno CCCLIV natus, diligenter litteris Latinis, primum Thagaste, deinde Madaurae, tum Carthagine, operam dedit. Atque iam sedecim annos natus, natura sua vehementi impulsus ac paterna vanitate, levitate, indulgentia fretus, in vitia inciderat. Sed tantum in studiis profecit, ut iuvenis admodum rhetoricam docere coeperit, primum Thagaste, deinde Carthagine, tum Romae (a. CCCLXXIV), ubi improbos discipulos invenit, « desertores fidei » et mercedis fraudatores. Inde a Symmacho, quem supra diximus praefectum Urbis, Mediolanum missus rhetoricae magister, Ambrosium Episcopum « disputantem in populo studiose » audivit, « non intentione, qua debuit, — ut ipse dicit (Conf. V. 13.2) — sed quasi explorans eius facundiam, utrum conveniret famae suae an maior minorve proflueret quam praedicabatur ». Iam vero foeda illa adolescentiae ac primae iuventutis vitia magnus quidam

1. Hanc Ecclesia in Sanctarum numerum retulit.

mentis error secutus erat, quo ad Manichaeorum sectam accesserat; qui et alia multa stulte credebant et duo principia posuerant inter se contraria et aeterna, Malum et Bonum, quorum commixtione mundus constaret. Deinde Fausti cuiusdam, praeclarissimi tum Manichaeorum episcopi, imperitia cognita, a Manichaeis alienari coeperat. Postquam vero Mediolanum venit, Ambrosi et orationibus et mira humanitate et suavitate motus, ad Catholicam fidem sensim accessit. Tum mater, quae Deum pro eo numquam orare multasque lacrimas effundere destiterat, cum et ipsa Mediolanum venisset eumque ad honestatem impelleret et suas hortationes hortationibus Ambrosii adiceret, eius animum magis in dies ita paravit, ut ad veram doctrinam sanamque vitae rationem se convertere cuperet. Obstabant vehementes illae cupiditates. Sed tandem post diuturnum acerrimumque adversorum inter se animi sensuum certamen, quo eius pectus exarsit, Dei gratia vicit. O quam vehementer postea Deo gratias egit! Quanto gaudio exultavit! Tum vero Cassiciacum,<sup>1</sup> in villam cuiusdam amici, cum matre et Adeodato filio<sup>2</sup> aliisque amicis idcirco secessit, ut animum ad baptismum pararet; praeterea rhetoricae professione se abdicavit. Non multo post, anno CCCLXXXVII, cum Mediolanum revertisset, baptizatus est ab Ambrosio. Inde dum in Africam redit, ad Ostia Tiberina piissima matre orbatus est. Deinde, cum in Numidiam redisset, omnia sua pauperibus divisit et monasterium condidit, quo concessit, ut assiduis precibus et divinarum rerum contemplationi se daret. Deinde ad sacerdotium accessit, neque multo post episcopus creatus, Hipponensem Ecclesiam ita administravit ac rexit, ut admirationem omnium moveret; neque tamen multa opera scribere destitit, quibus mirum illud ac plus quam humanum ingenium ostendit. Mortuus est anno CDXXX.

Eius scripta longum est hic vel paucis recensere; ea tantum igitur memorabimus, quae maximi momenti sint. Ex quibus haec paulo ante edidit, quam ad sanam disci-

1. Num idem oppidum sit, quod nunc CASCIAGO appellant apud Baretium, parum inter eos constat qui intellegunt.

2. Hunc ei mulier quaedam pepererat, quam ille vehementer amaverat neque tamen uxorem duxerat.



plinam conversus est: CONTRA ACADEMICOS; DE VITA BEATA; DE ORDINE; quibus praecipuas veteris philosophiae partes explicavit, quatenus ad religionem pertinerent. Adde DE IMMORTALITATE ANIMAE, quo in opere componendo non-nihil ab illo Platonis *Phaedone* sibi sumpsit imitandum, et SOLILOQUIA, quibus ille ad Deum eiusque infinitas virtutes mentem animumque erigit.

At ex ceteris operibus, quae postea scripsit, multa ad mores spectant, ut DE OPERE MONACHORUM, ut DE BONO CONIUGALI, ut DE SANCTA VIRGINITATE, ut denique CONTRA MENDACIUM. Adde plurimos SERMONES, quibus et sacros libros explicavit et ad virtutes et ad pietatem homines hortari solitus fuit.

Maioris utique momenti, si ad Christianae doctrinae dogmata spectes, sunt DE TRINITATE libri quindecim, et DE LIBERO ARBITRIO libri tres, quibus ille veram doctrinam adversus plures haereticos, praesertim Manichaeos, Donatistas, Pelagianos, defendit. Etiam liber DE VERA RELIGIONE dignus est, qui hic memoretur, quippe quo ostendatur quibus gradibus, ut ita dicam, homines ad Veritatem assequendam atque ad Dei contemplationem pervenire possint.

Omniū tamen gravissima ac maxima duo opera sunt, quorum alterum CONFSSIONES, alterum DE CIVITATE DEI inscribitur. CONFSSIONES ex tredecim libris constant, quorum novem primis non tam vitam ille suam narrat, quam adolescentiae et iuventutis vitia ac caecitatem vehementer deplorat, Deum assidue ita alloquendo, ut maximas ei gratias et habere et agere videatur; decimo autem illud cogitat ac penitus perinvestigat, quid ipse intus sit postquam ad verum Deum sit conversus; tribus denique postremis, ex illo Genesis versiculo: « In principio fecit Deus caelum et terram » initio sumpto, multa, quae ad philosophiam et ad theologiam disciplinam pertinent, miram quadam ac singulari ingeni subtilitate explicat. Hoc opus totum vehementissimo quodam animi ardore, ut ita dicam, aestuat idemque singularem atque excelsam mentis elationem atque ingeni aciem saepissime ostendit; qua re eodem fere animi impetu legentes impellimur et ad ea « quae sursum sunt » facile rapimur. Quodsi rhetoricae

praeceptis videtur ille saepe indulgere ac nimis coloribus uti, sentis tamen eos colores non consulto aut curiose ab eo exquiri, sed ingeni celeritate facillime ac libere suppeditari.

Quod opus **DE CIVITATE DEI** inscribitur, id viginti duos complectitur libros. Magnum utique opus. Quod ut scriberet, ex eo initium sumpsit, quod erant qui Gothorum caedes, clades, vastationes, Christianorum cultui tribuerent, quasi veteres Romanorum dii veterem religionem neglectam desertaque templa hac ratione ulciscerentur. Ad haec Augustinus respondet nec ea, quae ingruant, damna resarciri non posse, et Romanos etiam antiquitus ante Christianorum nomen eiusmodi clades accepisse. Stulte illos dictitare imperium a diis Gentium magnitudinem ac prosperitatem hausisse. Praeterea neque verum bonum potentia contineri neque dolorem esse malum. Inde et cultum deorum refellit, et ea quae Stoici et Platonici recentiores de diis docuerant iisdem fere argumentis confutat, quibus superiores Christianae fidei defensores usi erant.

Hactenus undecim prioribus libris; in altera huius operis parte huic « terrenae » civitati, quae amore sui ad contemptum Dei feratur, civitas Dei opponitur, quae amore Dei ad contemptum sui moveatur: terrenam illam ac caecam civitatem corpori ac malis cupiditatibus servire: hanc divino spiritu ali ac regi: illam, Angelorum secessione conditam et primo illo primi hominis peccato confirmatam, ad ingentem quamdam latitudinem atque potentiam Romanorum imperio iam pervenisse; at caelestem civitatem, a probata Angelorum fide eorumque caelesti beatitate ortam, omnes omnium terrarum homines complecti, qui summum aeternumque Dei Omnipotentis imperium agnoscant, colaudent, observent.

Utriusque civitatis Augustinus rerum seriem atque ordinem subtiliter explicat, atque illud praesertim docet, qua ratione quibusque gradibus per hominum variarumque gentium facta, casus, mores, religiones, utraque se suamque vim ostenderit. Itaque de multis agit rebus et profanis et sacris.

Eius etiam **EPISTULAS** memorare oportet, ex quibus ducentae fere exstant. Sermone Augustinus eo utitur, qui,

quamvis a Cicerone longe absit, tamen vere Latinus maneat; cum autem eius animus saepe vehementibus affectibus aestuet, et ingeni celeritas mentisque acies quaestiones difficillimas atque a cotidiano usu quam maxime remotas peruestiget penitusque perspiciat, audacissima saepe verborum iunctura et frequentibus translationibus atque imaginibus libere utitur, miro quodam animi impetu mirabilique dicendi facilitate impulsus atque adiutus; adeo ut in Latinis scriptoribus, qui excelsitate ingeni animique calore cum superaverit invenias neminem.

### Aurelius Clemens Prudentius.

Calagurri, ut videtur, anno CCCXLVIII natus, primo arti dicendi operam dedit et causas egit; deinde ad summos honores proventus, praesertim Theodosi principis amicitia floruit. Postremo, ferme quinquaginta annos natus, a re publica idcirco secessit, ut poeticæ se daret et Christianae fidei laudes et martyres caneret. Mortuus est anno ferme CLIX.

Cuius carmina ita dividi possunt, ut quattuor ad docendum maxime spectent, duo ad lyricum genus propius accedant. Atque quattuor illi HAMARTIGENEIA, APOTHEOSIS, PSYCOMACHIA, CONTRA SYMMACHUM deinceps inscribuntur; reliqua CATHEMERINON LIBER et PERISTEPHANON LIBER.

a) HAMARTIGENEIA, id quod nomen ipsum de Graeco sermone detortum significat, peccati ac mali originem CMLXVI hexametris ita explicat, ut Marcionis opinionem refellat, qui malum et bonum vere ac pariter esse defendit.

b) APOTHEOSIS, quod poematum MLXXXIV complectitur hexametros, de Dei natura et de Trinitate est: in quibus explicandis Prudentius cum Tertullianum aliqua ex parte sequitur, tum plures haereses refellit, et eorum, qui Deum Patrem passum esse affirmabant, et Sabellianorum, qui Filium negabant aeternum esse, Aeterno genitum, natum illo auctore cui nullus praefuisset auctor, et eorum, qui docebant Christum non Deum, sed hominem tantum esse, et Manichaeorum, qui negabant Christo verum corpus fuisse.

c) Poemate, quod **PSYCOMACHIA** Graece inscribitur — CM hexametri sunt — acerrimum animi certamen inducit, dum Fides et Virtus cum deorum Cultu et Vitiis pugnant: hic vero continuae translationes nonnihil nocent.

d) **CONTRA SYMMACHUM** duo sunt libri — hexametri ferme MDCCC — quibus praefectus ille Urbis, quem supra diximus, ita refellitur, ut Tertulliani ceterorumque fidei Christianae defensorum adversus Gentiles primo, deinde Ambrosi adversus Aram Victoriac, argumenta repetita videas. Atque illi huius poematis versus maxime digni sunt mentione, quibus Romanorum paene infinitas victorias ac latissimum imperium Dei providentia idcirco decreta esse ille quidem defendit, ut tanta orbis terrarum pars, in unitatem redacta, Christianae fidei tota pateret.

e) **CATHEMERINON LIBER** in duas dividitur partes, quarum utraque sex complectitur hymnos; in priore carmina ac preces, quae quotidie oporteat canere variis diei horis, ante lucem, mane, ante et post prandium, vespere, ante somnum; in altera quaedam Christianorum consuetudines ac normae, ut ieiunium, et quidam dies festi versibus celebrantur.

f) Postremo **PERISTEPHANON**, vel coronarum liber, quattuordecim carmina complectitur de quibusdam martyribus praesertim Hispanis. In quibus hymnus decimus, de Romano Antiochino, et poetico splendore et versuum numero — MCXL senarii sunt — et quod ad dramaticum genus quodammodo propius accedit, maxime est conspicuus.

Haec sunt Prudenti carmina, quibus ille meruit ut maximus Christianorum poetarum haberetur. Quamvis enim rhetoricae saepius indulgeat, et interdum philosophiae ac theologiae pondera poetae alas, ut ita dicam, onerent, et eo contentionis impetu adversus pravas opiniones nonnumquam feratur, qui magis oratorem quam poetam deceat, haud raro tamen eo assurgit, ut cum maximis Latinis eum comparare non dubites, praesertim in **PERISTEPHANON** libro, in quo lyricum genus cum genere et epico et dramatico mirum in modum miscetur et funditur. Quodsi numeros et metra eadem, quae veteres poetae, adhibuit, novum quendam liquorem, ut ita dicam, in vas vetus infudit, veteres et iam obsoletas deorum fabulas novis Christianae fidei laudibus et moribus immutavit.

### Meropius Pontius Paulinus.

Burdigalae, in Gallia, anno CCCLIII natus, Ausonium audivit, cui carissimus fuit. Anno CCCXC ad Christianam fidem se convertit. Sanctum Hieronymum et sanctum Augustinum amicos habuit. Anno CDIX Nolae episcopus factus est. Vita decessit anno CDXXXI. In Sanctorum numerum et ipse accessit.

Hic et EPISTULAS oratione soluta scripsit, quam multi illius aetatis laudibus celebraverunt et multa CARMINA variis versibus composuit. Ex quibus quattuordecim illa praesertim digna mentione sunt, quae NATALICIA vel NATALIA inscribuntur, quibus ille quotannis extremum Sancti Felicis<sup>1</sup> diem cecinit, quo die Sancti ex harum terrarum caligine ad sempiternam beatitudinem nascuntur.

Gentilium ille et versus et ornamenta et artificia adhibuit, saepe maximos aureae illius quam appellant aetatis poetas in verborum structura et in sententiis imitatus, ita tamen ut eorum artem ad Christianae fidei sanctorumque laudes flocteret et homines ad virtutem impelleret. In quo etsi satis doctrinae atque humanitatis ostendit et sano iudicio utitur, haud saepe tamen ad acrem poetarum spiritum atque impetum assurgit.

### Poetae minores Christiani.

Longum est omnes Christianos poetas extremae illius aetatis recensere. Sed C. VETTUM AQUILINUM IUVENCUM praetermittere non possum, qui, in Hispania paulo ante Prudentium natus, deinde sacerdos factus, EVANGELIORUM LIBROS hexametris satis elegantibus composuit et VETERIS TESTAMENTI historias, partim hexametris, partim aliis versibus lyricis, non sine aliquo iudicio iterum texuit.

Etiam SEDULIUM nominabo, qui anno ferme CDL CARMEN PASCHALE edidit. Quinque libri sunt, quibus et Christi miracula ab Eius Natali die usque ad Crucem docte ita narrantur, ut Christi passio praesertim illustretur.

1. Hunc Sanctum Nolani et Paulinus ipse praecipuis honoribus coluerunt.

ORENTIUM, CLAUDIUM MARIUM VICTOREM, PROSPERUM, CYPRIANUM GALLUM aliosque, qui varia carmina ediderunt, brevitatis gratia omitto; at SIDONIUS APOLLINARIS maior est quam ut silentio praetermittatur. Qui, Lugduni, in Gallia, natus, et plura CARMINA rotundo ore, ut ita dicam, in Principum laudem composuit, et EPITHALAMIA, EPISTOLAS aliaque carminum genera ita edidit, ut ostenderit miram quandam doctrinam atque elegantiam, miram in versibus componendis facilitatem. Ille vero postquam episcopus est factus, multa, quae ediderat, respuit tamquam sacerdotio indigna.

DRACONTIUM Carthaginensem et VENANTIUM FORTUNATUM poetas quamvis mentione dignos, itemque SEVERINUM BOETIUM et CASSIODORUM, magna utique ingenia, ad sequentem aetatem differo, quippe qui harum historiarum fines excesserint.